

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Cicero

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-360)

- 10 Margiten nominabat.] *inertem, & nullius precij solidumq; hominem.* Meminit eius ex Homero Aristoteles, atq; Clemens Alexandrinus. Vide Erasmi Chiliad. de Margite.
- 11 Phylarchus.] *φύλαρχος*, alibi: & in hac vita aliàs cum Demosthene impressa *φίλαρχος*. Sed hoc rectius est. Aretinus Phalereum legit. Idem *γὰρ ὄνειον* vertit venale, quasi si idem essent *όνειον* & *όνιον*.
- 12 Commento eluserunt.] *ἐκφρίσαντο πρὸς τὸν νό-*
 10 *μον ἐσοφίσταντο* legendum, non ex altero modo exemplari, sed palam ex sensu constat.
- 13 Calauria.] *hæc aliquando καλαβρία* scribitur, ob af-
 finitatem literarum, ut *αῦρα* & *ἄβρα*. nam vitiosa pronū-
 ciatio hæc inuexit: sicut id quoq; , quod *β* fere in scriptis li-
 15 *bris* figura nostro u simili exprimitur.

PLUTARCHI CICERO GVL-

lielmo Xylandro Augusta-

no Interprete.

- 20 **M**ATREM Ciceronis Heluiam & honesto loco
 natam, & honestam egisse vitam perhibent. De *Genus.*
 patre eius diuersissima traduntur. Quidam in of-
 ficina fullonis & natum fuisse, & educatum fe-
 runt. Alij genus eius à Tullio Artio repetunt, nobili Volseo
 rum rege. Qui primus eius familiæ Ciceronis cognomentū
 25 tulit, videtur vir haud contemnendus fuisse: itaque ne poste-
 ri quidem eam appellationē repudiarunt, sed amplexi sunt,
 quanquam vulgo rideretur. A cicere enim trahitur: & pri-
 mus Cicero ita cognominatus fuit, quod in extremo naso
 fissuram obscuram, qualis est in cicere, haberet. Ipse autem
 Cicero, de quo hic scribimus, cum primum ad rem. se con-
 30 tulisset, & magistratum ambiret, suadentibus amicis ut co-
 gnomentum illud fingeret atque mutaret, fertur iactantius
 dixisse, Contenturū se, ut nomē Ciceronis quam esset Scau-
 rorum & Catulorum gloriosius efficeret. Et quæstor in Si-
 cilia, cum donum argenteum Diis dedicaret, M. Tullii in-
 scripsit,

scripsit, iussitque loco cognominis cicer à fabro insculpi.
 Hæc de nomine eo tradita sunt. Natum ferunt Ciceronem
 4 III. Nonas Ianuarij, quo die nunc pro salute Imperatoris à
 magistratibus sacrificatur, & vota nuncupantur: & in partu
 eius matrem nullum dolorem passam: nutrici quoque eius
 spectrum apparuisse, atque prædixisse, puerum quem a-
 leret, magnæ Romanis utilitati fore. Hæc cum somnium &
 nugæ viderentur, ipse statim demonstrauit veram fuisse va-
 tinationem, vt primum per ætatem discere bonas artes li-
 cuit. ita enim ingenium eius eluxit, tantumq; ei nominis &
 10 gloriæ inter pueros peperit, vt patres eorum ad ludum lite-
 rarium venirent, videre cupientes Ciceronem, celebratam-
 que eius in discendo celeritatem cognoscere: & inurbani-
 ores nonnulli filiis suis irascebantur cum honoris causa Ci-
 ceronem ab iis inter eundum in medium recipi viderent. 15
 Cum autem ingenio ad omnes disciplinas ferretur (id quod
 in nato ad discendas bonas artes, & philosophiæ studium
 5 homine Plato requirit) neque quidquam literarum eru-
 ditionis aspernaretur, ad poeticam tamen quodammodo
 propensior fuit. Extat adhuc carmē ab eo puero quadratis 20
 versib. scriptum, quod inscribitur Pontius Glaucus. Progres-
 su temporis cum in eo genere accuratius elaborasset, non
 orator modo, sed poeta etiam Romanorum optimus habi-
 tus est. Verum illius quidem rei gloria adhuc ipsi integra
 permanet, quanquam haud parum mutata eloquentiæ ra- 25
 tione: hæc plane obscurata est, & euauit, multis post eum
 præstantissimis poetis existentibus. Puerilibus studiis reli-
 ctis, Philonem audiuit Academicum, quem vnum de secta-
 toribus Clitomachi Romani & propter doctrinam in ad-
 miratione summa habuerunt, & morum causa magnopere 30
 dilexerunt: simul & Mucij, viri in republica & senatu prin-
 cipis, consuetudine vtens, peritiam legum assecutus est. Mi-
 litauit etiam aliquandiu sub Sylla, bello Marfico. Videns
 deinde seditiones in republica ortas, atque ex his ad vni-
 us dominationem rem rediisse, ocio se dans literario cum 35
 Græcis philosophis vitam duxit, inque studia bonarum ar-
 tium incubuit. Eo tempore Chrylogonus Syllæ libertus
 bona cuiusdam, qui ex proscriptione cæsus fingebatur, ha-
 stæ subiecta octo millibus nummum emit: id cum Sex. Ro-
 scijs filius & hæres defuncti indigne ferret, ostenderetque
 bona

Poesis.

bona ea sexagies fuisse, reprehēdi se Sylla moleste tulit, atq;
 opera Chryfogoni effecit vt Roscius paricidij, quod patrem
 necasset, postularetur. Cum nemo patrocinium Roscij su-
 scipere vellet, omnesque indignationem & sœuitiam Syllæ *Roscij cau-*
 5 timerent, destitutus adolescens ad Ciceronem confugit. *sa.*
 Suscepit causam eius Cicero, amicis hortantibus, monen-
 tibusque haud temere aliam parandæ gloriæ ita commo-
 dam occasionem oblatum iri: victorque admirationem sui
 10 excitauit. Metu tamen Syllæ, in Græciam abiit, sparso ru- *In Græcia*
 more, se curandi corporis causa profectum. Eratq; sane gra- *agit Cice-*
 15 cili & minime carnosio corpore, cum ob imbecillitatem sto- *ro.*
 machi pauco vteretur ac tenui victu, idque sero, & iam im-
 minente nocte. Voce præditus erat copiosa & bona, sed as-
 pera & rudi, & quæ ob orationis vehementiam semper ad
 20 altitudinem contenta, periculum corpori videretur denun-
 ciare. Vt Athenas venit, Antiochum Ascalonitam audiuit,
 facundia eius & elegantia delectatus, nouitatem autem
 doctrinæ non probans. iam enim à noua Academia, & Car-
 neadis factione desciscebant Antiochus, siue, vt nonnulli
 25 censent, euidentia rei & sensuum victus, siue vt alij putant,
 æmulatione aduersus Clitomachi & Philonis sectatores:
 ac plerisque in rebus Stoicas opiniones sequebatur. His stu-
 diis delectatus Cicero magnopere intendebat animum, at-
 que ita secum cogitabat, sibi si plane à republica arceretur,
 30 à foro & negociis publicis in ocio philosophico vitam exi-
 gendam esse. postquam de morte Syllæ annunciatum est, a-
 micis Romam crebro per literas reuocantibus, ac Antio-
 cho etiam ad capeffendam rempublicam adhortante, cum
 iam & corporis vires exercitationibus confirmasset, ha-
 35 bitumq; valetudinis bonæ parasset, & vocem ita formasset,
 vt & suauis ac copiosa in aures auditorum influeret, & cor-
 poris statui congrueret, eloquentiam rursus, tanquam in-
 strumentum negocia publica cum dignitate tractandi arri-
 puit, ac cum ipse se declamando exercuit, tum nobiles ora-
 40 tores adiit. Eius rei causa in Asiam & Rhodum nauigauit,
 ac de rhetoribus Asianis Xenocli Adramytteno, Dionysio
 Magneti, ac Menippo Cari vacauit: Rhodi oratore Apollo-
 nio, philosopho Posidonio vsus est. Traditum est memoriæ,
 Apollonium Romani sermonis ignarum, petisse ab eo vt
 Græce declamaret: idq; Ciceronem libenter annuisse, spe-
 rantem

rantem eo melius corrigi se ab Apollonio posse. Declamati-
one autem ipsius ceteros, qui audissent, omnes obstupefa-
ctos certatim eum laudib. ornasse: Apollonium neq; inter
audiendum hilari fuisse vultu, & finita oratione diu secum
cogitabundum tacitumq; sedisse: ac cum id iniquius ferret
Cicero, in hac verba prorupisse: Te quidē, ô Cicero, & lau-
do, & admiror: Græciæ autem fortunam miseror, cernens
ea, quæ sola nobis relicta erant, ornamenta te etiam Roma-

Oraculum

Cic. datū.

nis addere, doctrinam & facundiam. Cicero autem cum bo-
na spe plenus ad rempublicam se conferret, impetum eius
oraculum quoddam retudit. Delphis enim Deum consulē-
ti, quonam modo ad summam peruenire gloriam posset, re-
sponderat Pythia, vt ne hominum dese existimationem, sed
suam ipsius naturam ducem sibi vitæ constitueret. Primum
tempus caute admodum triuit, segniterq; ad magistratus
petendos accessit negligebaturq;, ac Græcus literarioq; o-
cio deditus, quæ nomina imperitis sordidisq; hominib. in
vsu fere sunt, vulgo appellabatur. Postquam vero & innata
laudis cupiditate, & patris amicorumq; adhortationibus
compulsus, causis agendis se dedit: non iam paulatim ad
principem locum progressus est, sed gloria eius statim efful-
sit, longog; post se interuallo ceteros reliquit oratores. An-
norum est eum, cum non minus quam Demosthenes ac-
tionis vitio laboraret: in eo emendando cum Roscij co-
mædi, tum Aesopi trægædi opera vsu. Hunc Aesopum di-
cunt cum aliquando in theatro personam Atrei de vlci scē-
do Thyesta deliberantis ageret, famulum quendam, qui su-
bito prætercurrisset, mentis ob indignationem aberrante
inflicto sceptro interfecisse. Sane actio Ciceroni haud leue
momentum ad persuadendum contulit: idemque magna
vociferatione vtentes oratores irridens, ob imbecillitatē
ad clamorem, veluti claudos ad equum confugere dicebat.
Verum hæ eius facetiæ atque dicacitas, cum elegans quid-
dam & iudiciis accommodatarum videretur, ad satietatem
vsque ab eo vsurpata multis molesta fuit, ac peruersitatis o-
pinionem auctori conciliauit. Quæstori factō in caritate
annonæ cum obligisset Sicilia, offendit homines, frumen-
tum eos Romam mittere cogēdo: post autem, cum suam iis
diligentiam, iusticiam, mansuetudinemq; probasset, maio-
rib. est ab iis, quam vllus vnquam præfectus, honorib. orna-
tus. Et

*Aesopus
hystrio.*

*Ciceronis
quæstura.*

tus. Et cum multi nobiles iuvenes Romani ad prætorem Si-
 ciliæ rei ablegarentur, quod in bello molliter se gessisse, &
 contra disciplinam militarem diceretur: magna cum laude
 eos Cicero defendit atq; seruauit. Ob hæc cum altos spiri-
 tus duceret, Romam reuertenti sibi rem euenisse ridiculam 8
 scribit. se, cum in Campania in illustrem quandam virum, 9
 quem pro amico suo habebat, incurrisset, quæsiuisse ex eo,
 ecquid de rebus à se in prouincia gestis Romani sentirent *Ambitio.*
 atq; dicerent: quod existimaret suarum actionum gloria &
 fama Romam repletam. tum illum respondisse. Vbi enim, 10
 Cicero, tu interea temporis fuisti? Itaq; se tum animo pror-
 sus concidisse, quod fama ipsius ita in urbem, tanquam im-
 mēsum aliquod pelagus incidisset, neque ad gloriam quic-
 quam contulisset. At postea quidem rationes secum subdu-
 cens, 11 multum de ambitione remisit, animaduertens se ad
 rem infinitam, & quæ terminum, ad quem perueniri posset,
 nullum haberet, gloriam nimirum, contendere: verū quod
 laudari se mirum in modum gauderet, vehemensq; cupidi-
 tas gloriæ, quam ad extremum vsque retinuit, effecerunt vt
 12 saepe ab optimis deturbaretur cogitationibus. Cum ergo
 maiori studio ad rēpub. se contulisset, turpe esse existimans,
 si cum opifices instrumentorum suorum inanimatorū no-
 mina, loca, & vim cognitam habeant, in repub. versans ali-
 quis, cui hominum opera in expediendis publicis negociis
 13 vtendum est, cognitionem ciuiliū rerum personarumq;
 negligeret: non nomina modo eorum, cum quibus sibi res
 esset, sed & habitationes eorum, possessiones, amicos, vici-
 nosq; vt sciret, ad suefecit: itaq; per Italiam quacūque via
 incedenti facile erat amicorum agros & prædia demonstra-
 14 re. In admiratione etiam fuit, quod cum modicas facultates,
 sed ex quibus tamen sumptus necessarij suppeditarent,
 possideret, patrocinijs causa neque mercedem, neque do-
 na à quoquam acceperit: maxime, cum Verrinam actio-
 nem suscepit. Eum quod prætor Siciliam plurimis flagitijs
 15 vexasset, oratu Siculorum Cicero accusauit, reūq; peregit,
 non tam dicendo, quam eo ipso fere, quod non dixit. Cum
 enim designati magistratus fauerent Verri, multisq; dila-
 tionibus iudicium in vltimum diem extraherent, Cicero,
 cum non appareret diei spacium orationibus suis non suffe-
 &urum, neque iudicium perfectum iri, surgens, Nihil opus
 esse

Verrina.

esse verbis dixit, testesque productos interrogavit, & indices suffragia iussit ferre. Veruntamen multa eius facete dicta eo in iudicio feruntur. Verres Romanis porcus castratus dicitur. Erat autem quidam libertinus Cæcilius, Iudæica superstitioni obnoxius, qui cum inuitis Siculis Verrem accusare vellet, Cicero, quid, inquit, Iudæo cum verre est rei? Erat Verri filius iam pubescens, qui teneræ ætatis pudicitiam parum liberaliter custodiuisse credebatur. itaque Cicero cum à Verre ei mollicies obliiceretur, Filiis, inquit, eademi exprobranda est. Cum orator Hortensius non ausus palam defendere Verrem, in æstimatione tamen multæ adesset, sphingis eburnæ dono adductus, & Cicerone obliquius quippiam dicente, se dissoluendorum ænigmatum peritum esse negaret: atqui, ait Cicero, Sphingem domi habes. Dam nato Verre, cum litem ei tricies H. S. æstimasset, calumniis nonnullorum imperitus est, quasi accepta pecunia multam diminuisset. Siculi tamen ut gratiam ei referrent, ædilitatem gerenti multa ex insula aduexerunt atque attulerunt: quorum ille nihil in suam rem vertit, sed studio eorum usus est eò, ut rerum in foro venalium precia minuerentur. Villam Arpini pulcram, & apud Pompeios aliam, itemque apud Neapolim, haud magnas possedit: accessit eo dos Terentiæ vxoris, quæ erant CCCCLXXX. festeria, & hæreditas quædam nonaginta denariorum milia efficiens. His opibus liberaliter simul & sobrie vivebat, conuictoribus utens Græcis Romanisque, qui in liberalibus studiis vna versabantur: raroque ante occasum solis accumbat cœnandi causa, idque non tam propter occupationes, quam stomachi vitium. In corpore alioquin etiam curando multum posuit diligentiam, ita ut fricationibus etiam, certoque numero definitis ambulationibus vteretur. atque hoc modo corporis habitum ita firmavit, ut id ad multos ac magnos labores satis virium haberet, atque perduraret citra inæquitudinem. Domum paternam fratri cōcessit: ipse iuxta palatium habitauit, ne qui eum colebant, longe venire coacti grauarentur. colebant autem eum, & quotidie ad fores eius ventitabant haud pauciores, quam ad Crassii aut Pompeij. quorum ille diuitiis, hic bellica gloria Romanorum primi, inque summa erant admiratione. Pompeius quoque Ciceronem coluit, eiusque actionibus plurimum est ad

II
Opes Ciceronis.

Prætura.

12

13

Cōsulatus.

est ad potentiam gloriamq; parandam adiutus. Cum in petitione præturæ multos haberet & illustres competitores, primus omnium designatus est, creditusq; est iudicia præclare & probe exercuisse. Fertur etiam Licinius Macer, vir 5 & ipse multum in ciuitate potens, & Crassi vtens auxilio, cum repetundarum reus Cicerone iudice esset factus, potētia sua & studio amicorum fretus, iudicibus adhuc sententias ferentibus domum abiisse, statimque caput totondisse, puramq; vestem veluti absolutus induisse, atque ita in forum prodiiisse: Crasso autem apud vestibulum occurrente, & vniuersis damnatum suffragiis nunciante, reuersus accubuisse, & viuendi finem fecisse. Cum Vatinius, homo in patrociniis asper, & magistratum quodammodo contemptor, idq; strumis collum oppletus, à Cicerone aliquid ad- 15 stans peteret, eoq; non annuente, & aliquādiu deliberante, diceret, Se si prætor esset, nihil hac de re dubitaturum: conuersus Cicero, Atqui ego, inquit, tantum collum non habeo. Cum adhuc præturæ eius duo vel tres dies superessent, Manilium quidam repetundarum apud eum postulauit. 20 Fauere autem huic Manilio propter Pompeium populus videbatur, cuius erat amicus. Itaque cum diem vnum peteret, Cicero vnicum eum qui insequabatur ei concessit, indigne id ferente populo: cum prætores solerent decem, minimum, dies reis largiri. Itaque à tribunis plebis in concionē 25 pertractus, ibiq; accusatus, cum impetrasset vt sibi dicendi potestas fieret, Se ostendit, qui semper reis benignum se, quantū per leges licuisset, humanumq; præbuisset, inique facturum censuisse, si eundem se Manilio non exhiberet. ita que ei diem, qui vnus sibi in prætura reliquus esset, se cōstituisse dedita opera: non esse enim eius qui prodesse reo velit, iudicium ad alium magistratum reicere. His dictis animos populi mirifice circumegit, ita vt acclamationibus eū secundis excipientes orarent, vt patrocinium Manilij susciperet. Quod ipse haud grauatim fecit, in gratiam præsertim Pompeij absentis: denuoq; habita oratione, acriter in eos qui temp. in potestate paucorum esse cupiebant, inui- 35 debantq; Pompeio, inuectus est. Ad consulum vero non minus ab optimatibus, quam à multitudine prouectus est. Vt fauerent petitioni Ciceronis optimates, reipu. causa factum est. res ita se habet. Cum instituta à L. Sylla reipu. for-

*Catilina
scelera.*

*C. Antonio
quod
lib.*

ma initio quidem absurda visa esset, successu tamen tempo-
ris & consuetudine confirmata, tolerabilis status rerum, ac
non incommodus videretur: extiterunt qui optimo publi-
co suis cupiditatibus postposito concutere eum mutareq;
conarētur: eo etiam freti, quod Pompeio adhuc bellum ad-
uersus reges in Armenia & Ponto gerente, Romæ nullus ex-
ercitus nouarum rerum machinatoribus opprimendis suf-
ficiens extabat. Horum dux princepsq; fuit L. Catilina, au-
dax homo, & magnarum rerum appetens, varioq; præditus
ingenio, qui præter cætera flagitia filia suæ virginitatem
imminuisse ferebatur, fratremq; ipse suum occidisse: ac ne
parricidij eius postularetur, Syllam exorasse, vt ille tanquā
vicius adhuc inter necandos proscriberetur. Hunc improbi
homines nacti antesignanum, cum aliis sese sacramentis
obstrinxerunt, tum mactati hominis carnibus gustatis. Cor-
rupit autem Catilina magnam vrbana iuuentutis partem
voluptatibus variis, comperationibus, & muliercularum
amoribus singulos illiciens: ad eamq; rem effuse sumptus
suppeditans. Ad defectionem tota Etruria, & pleræq; cisal-
pinæ Galliæ partes spectabant. Vrbi autem grauissimum à
mutatione impendebat periculum, propter inæqualitatem
facultatum inter ciues. Nam & quorum summa erat gloria,
atq; animorum elatio, ij theatris, epulis, ambitu, & ædifi-
cando rem familiarem comminuerant: & diuitiæ ad igno-
biles & abiectos homines redierant, vt leui momento resp.
impelli, & prope à quouis euertere posse videretur, ipsa suis vi-
tiis laborans. Verum enimvero Catilina vt validam aliquā
arcem præoccuparet, consulatum ambiebat, magna que in
spe erat, se cum C. Antonio consulem designatum iri, viro
qui se ipse neutram in partem ducem præberet, sed ducem
nactus, facile sequeretur, eiusq; potentiam augeret. Hæc
cum præstantissimi ciuiū præsentissent, Ciceronem ad con-
sulatum petendum produxerunt: isq; à Populo magno fa-
uore exceptus est, & repulso Catilina cum C. Antonio con-
sul designatus, quanquam solus inter competitores non pa-
tricio, sed equestri patre natus esset. Latuerunt adhuc ple-
rosque Catilinæ consilia. Magna autem certamina, ac qua-
si eius rei exordia in Ciceronis consulatus initium incide-
runt. Primum enim ij, quib. Syllanis legibus interdictum erat
magistratum petitione, neque pauci numero, neque viri-
bus de-

bus deftituti, populum concitabant, multa, & quidem non vana, de Syllæ tyrannide conquerentes, sed alieno tempore rempub. concutientes. Deinde tribuni plebis leges eodem pertinentibus promulgabant de constituendis decemviris cum plena potestate, qui totam Italiam, & Syriam, & quasunque regiones nuper Pompeius Romano imperio adiecerat sub se habentes, publica bona venderent, damnarent quos vellent, & in exilium agerent, vires conderent, pecunias ex ærario sumerent, exercitus quantos videretur scriberent atque alerent. Huic legi cum alij primarij viri tum princeps Antonius Ciceronis collega fauebat, sperans se vnum ex decem istis futurum: idemq; videbatur Catilinæ institutum cum sciret, non ægre tamen ferre, propter alienariis multitudinem, & optimatibus hoc maximum iniiciebat metum. Itaque hunc primo omnium sibi deuinciendum Cicero ratus, provinciam ei Macedoniam decreuit, sibiq; destinatam Galliam dimisit: quo officio Antonium ita obstrinxit, vt quasi mercede conductus histrio actioni suæ subseruiret. Eo subacto fiducia auctus, nouarum rerum machinatores aggressus est: atq; in senatu habita in legem istâ oratione, ita eius autores perterrituit, vt quod contradicerent non haberent. Cum rursus eam ferre conarentur, cōsulesq; ad populum vocarent, nihil perterritus, senatu se sequi iussu in concionem prodiit: ac non legē modo eam sustulit, sed etiam oratione sua tribunos plebis ita fregit, vt de reliquis etiam, quæ moliebantur, desperarent. Is enim præsertim vir ostendit Romanis, quantum suauitatis eloquentia rebus honestis conciliet, vtq; id quod iustum est, si recte oratione exprimatur, inuictū sit: tum eū qui in republica versari præclare velit, debere, semper re quidem id quod rectum est ei quod adulatur multitudini præferre, oratione autem efficere, vt id ipsum quoque molestum sit. Exemplum quo quāta fuerit in dicendo præditus gratia appareat, est etiam actio *Lex Ro-* de spectandis ludis ipso consule habita. Cum ante in thea- *scia.*

35 tro equites permixti plebi spectassēt, primus M. Otho præturam tum gerens honoris causa eos a cæteris ciuibus separauit, locumque peculiarem assignauit, quo etiam nuntiantur. Hoc ad ignominiam suam spectare sentiens populus, visum in theatro Othonē exhibilauit, equites eum plausu exceperunt: rursusq; sibilos populo, plausum equitibus

tollentibus, confusio in theatro tumultusq; & iurgium ordinum exitit. His auditis Cicero in theatrum venit, populumq; in Bellonæ ædem euocauit: ibi ab eo dictis castigati cum in theatrum reuertissent, plausum Roscio alacrem dederunt, in eoque honorando vinci se ab equitibus passi nequaquā sunt. Interim coniurati Catilinæ cum initio metu concidissent, animis receptis conuentus agere, & mutuo se ad rem audacius aggrediendam ante reditum Pompeij, qui iam cum exercitu reuerti ferebatur, cohortari coeperunt. Catilinam Syllani maxime milites excitabant, quorum per totam Italiam dissipatorum maxima & validissima pars per Etruriæ vrbes dispersa prædas rursus & direptiones bonorum alienorum animo agitabant. Hi ducem nacti Manlium qui sub Sylla præclare militauerat, Catilinæ se coniunxerunt, Romamque venerunt, vt comitia eius obirent. Rursus enim petebat consulatum, ac decreuerat ipso in tumultu comitiorum Ciceronem interficere. Videbantur quidem ea quæ agebantur diuinitus terræmotibus, fulminibus, spectris indicari: indicia vero ab hominib; delata, erant quidem ea vera, sed quæ tamen contra ita nobilem atque potentem virum non sufficerent. Itaq; Cicero dilato comitiorum die, in senatum vocat Catilinam, ac de iis, quæ alla-
 ta erant, interrogat. Ibi Catilina, quod & multos esse in senatu rerum nouarum cupidos putaret, & simul coniuratis ostentare se vellet, molliter Ciceroni respondit. Quid tandem, inquit, mali facio, si, cum duo sint corpora, alterum capite præditum, sed gracile & tabe confectum, alterum validum & magnum, sed capite carens, huic ego caput impono? His ambagibus senatum ab eo populumque notari sentiens, magis etiam sibi metuit Cicero, eumque thoracibus induci primores vrbs vnuerſi, & multi iuuenes in campum deduxerunt: atque ipse dedita opera togam ab humero aliquantum demittens, thoracem quem gestabat ostentauit, periculum in quo constitutus erat significans. Itaque multi eum stipauerunt indignitate rei moti. Tandem populo in suffragia misso rursus repulsam passus est Catilina, designatiq; consules Silanus & Murena. Haud multo post cum iam Catilinarij milites in Etruria conuenissent, diesq; facinori destinata appropinquaret, media nocte ad domum Ciceronis veniunt primi potentissimiq; Romanorum, M.

*Catilina
II. conspexit.*

*Indicia de
Catilina.*

rum, M. Crassus, M. Marcellus, & Scipio Metellus: hi cum
 ostiū pullassent, euocato ianitore, vt excitaret Ciceronem
 seq; adesse indicaret iubent. Res ea erat. Crasso secundum
 cœnam litteras reddiderat ianitor ab ignoto quodam ho-
 mine allatas, alias aliis inscriptas, vnas vero ipsi Crasso in-
 certo autore. quas vnas cum legisset Crassus, eaq; ostende-
 rēt à Catilina magnas in vrbe cædes editum iri, iuberentq;
 vrbe ipsum excedere: reliquas non soluit, sed statim ad Ci-
 ceronem contulit, cum periculi atrocitate percussus, tum
 vt suspicionem de se ob amicitiam Catilinæ conceptā pur-
 garet. Cicero re deliberata, prima luce senatum conuoca-
 uit, allatisq; eo epistolis singulis vt erāt inscriptæ distribuit,
 iussitq; palam recitare. Omnes idem indicabant, nempe in
 fidias. Ad hæc Q. Arrius prætorius vir milites in Etruria oc-
 culte cogi indicauit. Relatum etiam est, Manlium cum ma-
 gna manu circum illas vrbes harere, & semper nouum ali-
 quid ex vrbe operiri. Itaq; S. C. fit, darent operam consules,
 ne quid resp. detrimenti capiat. fieri hoc non, nisi magni pe-
 riculi metu, à senatu solebat. Hac sibi potestate data Cicero
 res extra urbem Q. Metello commisit, urbem ipsi gubernan-
 dam sumpsit, ac quotidie in publicum tāta hominum mul-
 titudine stipatus prodiit, vt ab iis magna fori pars occupa-
 retur. Quapropter moram porro non ferens Catilina, sta-
 tuit ex vrbe se ad exercitum Manlianum proripere: Marci-
 um autem & Cethegum iussit gladiis succinctos ad domū
 Ciceronis quasi salutandi causa ire, itaq; admissos eum oc-
 cidere. Hæc Fulvia nobilis mulier Ciceronem noctu con-
 ueniens aperit, monetq; vt sibi ab iis caueat. Ita hi cum sum-
 mo mane venissent, ac aditu prohibiti essent, moleste id fe-
 rentes, ac ante fores vociferantes, suspicionem auxerunt. Tū
 Cicero senatu in ædem Iouis Statoris (quæ est initio Sacre
 viæ, qua ad Palatium itur) conuocat. Eo cum Catilina etiā
 sociiq; venissent purgandi causa, nemo senator assidere eis
 sustinuit, sed vniuersi de sedilibus cesserunt. Catilina autem
 loqui orsus, perturbatus est. Tandem surrexit Cicero, Vrbe-
 que eum exire iussit: nam inter se, qui verbis, & eum qui ar-
 mis rempu. gerere vellet, debere murum esse interpositum.
 Catilina statim cum trecentis armatis vrbe exiuit, fascibus-
 que & liçtoribus perinde ac si magistratum gereret assum-
 ptis, signisq; sublati ad Manlium contendit: iamq; ad vi-

*Lentulus
Sura filius
1. 1. 1.*

ginti hominum millia coactis, vrbes obiens ad defectionē sollicitabat. Itaque cum iam haud dubie bellum immineret, missus est consul Antonius qui eum debellaret. Qui in vrbe relicti erant Catilinæ socij, eos continebat atque confinnabat Cornelius Lentulus, Sura cognomento, illustri natus familia, sed vitæ inhonestè actæ, & qui ob libidines senatu eiectus, tunc (qui mos est recuperantibus senatoriâ dignitatem) iterum præturam gerebat. Fertur cognomen-
tum Suræ hoc modo adeptus. Cum sub Sylla quæstor mul-
tum publicæ pecuniæ interuertisset, idq; Sylla indigne fer-
ret, inq; senatu rationem ab eo exigeret: progressus contem-
ptim admodum, rationem se redditurum negauit, suram
autem præbiturum, id quod pueri solent cum in lusione
pilæ errauerant. Inde Sura dictus est. Alio tempore cum
reus esset, ac corruptis pecunia quibusdam iudicibus, suf-
fragiis duobus absolueretur, Inutiles se sumptus in altero
iudicio corrumpendo fecisse dixit, satisque fuisse, si vna
sententia absolueretur. Hunc tali ingenio præditum, & à
Catilina excitatum, insuper vana spe & confictis vaticina-
tionibus impostores quidam & præstigiatores perdebant,
oracula ementita pro Sibyllinis versibus cantantes, quibus
indicaretur in satis esse, vti tres Cornelij Romæ omnium
domini essent: ex his duos, Cinnam & Sullam, expleuisse iâ
fatum: tertium esse hunc Cornelium, ei diuinitus domina-
tionem offerri: modo acciperet, neque cunctando, vt Cati-
lina, occasiones perderet. Ob id nihil iam humile, nihil vile
Lentulus cogitabat. Statuerunt ergo senatum vniuersum
trucidare, & quotquot præterea possent ciues, urbem in cen-
dere, nemini omnino parcere, præterquam Pompeij libe-
ris: hos rapere & detinere obsidum loco, per quos transige-
re cum Pompeio possent. iam enim constans rumor tene-
bat, eū magno cum exercitu aduentare. Nox ad rem istam
peragendam definita fuit vna Saturnalium: gladij, stappa,
& sulsur in Cethegi domum comportata: centum viri ad
singulas vrbis partes singuli destinati, vt certis intervalis
simul accensa vrbs vndiq; conflagraret: alij ordinati, qui a-
quæ ductus obthurarent, & aquam petentes necarent. For-
te tum Romæ erant duo legati Allobrogum, quæ gens tunc
maxime affligebatur, Romanorumq; dominationem ægre
tolerabat. Hos Lentulus existimans viles sibi fore ad con-
citan-

citandam Galliam coniurationis socios effecit, litterasque
 eis ad senatum Allobrogicum & Catilinam dedit, liberta-
 tem illi promittens, hunc hortans, ut seruis libertate dona-
 tis statim Romam peteret: missus una cum iis ad Catilinam
 5 qui literas perferret T. quidam Crotoniata. Hæc homi-
 num futilium, & qui plerunque inter pocula & scorta col-
 loquerentur, consilia Cicero vigili sobrioq; animo & sum-
 mo studio solertiaque indagans, multosq; habens, qui in
 speculandis extrinsecus eorum conatibus se adiuvarent,
 10 cum multis quoque eorum, qui socij coniurationis vide-
 bantur, occulte colloquens, eorumq; indicijs credens, de
 re cum Allobrogibus communicata certior est redditus:
 noctuq; adiuuâtib. occulte etiam Allobrogibus, Crotoni-
 ensem illum cum literis per insidias interceptis. Otto primū
 15 sole in templum Concordiæ senatum conuocauit, ibiq; &
 literas recitauit, & indicia deferentibus audientiam fecit.
 Retulit etiam Iunius Silanus, esse qui audierint Cethegum
 dicentem, tres consules & quatuor prætores interfectum i-
 ri: & his germana Piso vir consularis. C. autem Sulpicius
 20 prætor in domum Cethegi missus, multa ibi iacula & ar-
 ma, plurimos gladios sicasq; recens acutas reperit. Tâdem
 Crotoniata accepta publica fide in senatu omnem rem ex-
 posuit. Ita conuictus Lentulus, præturam eiurauit: deposi-
 taq; in senatu prætexta, vestem fortunæ suæ convenientem
 25 sumpsit: isque & socij eius in liberam custodiam prætorib.
 traditi sunt. Cum iam aduerserasset, populusque frequens
 expectaret, progressus Cicero ciuib. rem narrauit, ab iisq;
 in domum amici cuiusdam vicini deductus est: suam enim
 mulieres obtinebant, arcana Bonæ Deæ sacra celebrantes.
 30 fit hoc quotânis, in domo cōsulis, & sacrificium præsentib.
 Vestalib. à matre vel vxore consulis peragitur. Ingressuseam
 in domum Cicero, paucis admodum præsentibus, secum
 quomodo agendum cum deprehensis esset deliberabat. Nā
 & ab extremo, & tali facinore digno supplicio abhorrebat,
 35 cum ob innatam humanitatem, tum quod verebatur, ne
 potestate sua luxuriare, insolentiusque insultare videretur
 viris nobilissimis, & amicos potentes habentibus: & si ele-
 mentius eos tractasset, imminens ab iis periculum reformi-
 dabat: videbat enim nisi mortis supplicio affectos
 non quieturos, sed accedente ad veterem nequitiam noua

*Sacra Bq-
na Dec.*

ira quiduis ausuros: tum se, qui alioquin parum animosus haberetur, mollem timidumque iudicatum iri. His illo eg-
 ris distracto, mulieribus sacrificantibus ostentum est factū.
 Ara enim, cum iam sopitus putaretur ignis, ex cinere & cre-
 matis corticibus flammam copiosam splendidamq; edidit. 5
 ob hanc reliquis metu diffugientibus, Vestales Terentiam
 Ciceronis vxorem celerime ad maritum accedere, & quæ
 pro salute patriæ cogitaret agere iubere, hortatæ sunt: flam-
 mam enim à Dea editam multum illi ad salutem & glori-
 am momenti polliceri. Terentia autem mulier minime 10
 demissi aut timidi ingenij, sed animo elato prædita, & quæ
 (vt ait Cicero) magis a marito partem publicarum curarum
 acciperet, quam domesticarum in eum conferret, vt iussa e-
 rat fecit, virumq; aduersum reos incitauit. Idem fecerunt
 Q. frater, & P. Nigidius, quæ Cicero in studiis philosophiæ 15
 socium habuit, eoq; inter reip. negocia plurimum. est vsus.
 Postridie cum in senatu de supplicio coniuratorum sen-
 tentiæ dicerentur, Silanus, qui primus interrogatus erat,
 censuit abductos in carcerem vltimo supplicio esse afficien-
 dos. Huic suffragati sunt omnes, vsque ad C. Cæsarem, qui 20
 deinde dictator factus est. Is tum primum fundamenta su-
 orum iaciens incrementorum, iamque eam in spem & viā
 ingressus, qua res Romanas in suam vnius potestatem infe-
 rioribus temporibus redegit, cum lateret reliquos, non fe-
 fellit Ciceronem, coniurationi fauens: multas enim suspici- 25
 ones collegit Cicero: nullū tamen ad conuincendum suffi-
 ciens indicium consequi potuit: neq; defunt qui tantū non
 ab eo deprehensum Cæsarem subterfugisse dicant. alij cō-
 sulto præteritum in detegenda cōiuratione Cæsarem à Ci-
 cerone affirmant, amicos eius & potentiam metuentes, & a- 30
 nimaduertente id, quod in promptu erat omnibus videre,
 potius fore vt coniurati propter Cæsarem salute donaren-
 tur, quam is propter eos supplicio afficeretur. Is igitur Cæ-
 sar iussus sententiam ferre, pronunciauit, Non esse necan-
 dos, sed bona eorum publicanda: ipsos in custodiam per I- 35
 talia vrbes, quasvncq; ad eam rem Cicero delegisset, vin-
 ctos tradendos, tantisper dum Catilina debellaretur. Huic
 sententiæ, cum & clemens esset, & ab homine summa vi di-
 cendi prædito dicta, haud parum momēti Cicero addidit,
 cum ipse quoque surgens in vtranq; partem disputasset: &
 omnes

*Coniurati
 de suppli-
 cio affecti.*

omnes amici Ciceronis Cæsaris in sententiam inclinabāt:
 quam Ciceroni vtiliorem, eoq; minus calumniis eum ob-
 noxium fore, si illi non necarentur, videbant. Quo factum
 adeo est, vt Silanus quoq; mutatus sententiam suam retra-
 5 ctaret, seque non de nece censuisse diceret, verum carcere,
 quod vltimum posset Romano irrogari supplicium. Hanc
 sententiam primus omnium impugnauit Catulus: deinde
 sermonem eius excipiens Cato, & oratione vehementer ad
 suspectum coniurationis faciendum Cæsarem tendens, ex-
 10 citauit animauitque senatum, ita vt morte damnet reos.
 Tum publicationi bonorum Cæsar reclamauit, indignum
 esse affirmans, suę sententię humanioribus capitibus repu-
 diatis, id vnum quod esset durissimum arripi: multisque vr-
 gentibus contrā, ad tribunos plebis prouocauit. Sed ij non
 15 sunt assensi: ipse Cicero eam partem concessit, publicatio-
 nemque remisit. Assumpto deinde senatu, damnatos adiit,
 quos diuersis in locis apud prætores asseruatos fuisse dictū
 est. Primum à Palatio Lentulum per Sacram viam deduxit,
 mediumq; forum, principum virorum cæterua cinctus atq;
 20 stipatus, populo autem tacito prætereunte, ac horrente eo-
 rum quæ agebantur metu, iuuenibus præsertim, qui vide-
 bantur quasi sacrificium quoddam auitum potentię opti-
 matium cum timore & stupore obire. Cū per forum trās-
 iisset, atque ad carcerem venisset, carnifici Lentulum tradi-
 25 dit, & necare iussit: deinde Cethegum, & reliquos vnū post
 alium eodem abduxit, & occidi mandauit. Videns autem
 multos coniurationis socios confestim in foro adstare, qui
 ignorantes quid esset actum, noctem expectabant, viuere
 adhuc illos, & eripi posse putantes: magna ad eos voce, Vi-
 30 xerunt, inquit, eo enim verbo infaustum mortis nomen e-
 uitare consueuerunt. Vespero per forum domum se contu-
 lit, non iam tacitis ciuibus, aut ordine eum comitantibus,
 sed quocunq; peruenisset cum clamore & plausu excipien-
 tibus, seruatoremq; patrię & conditore inuocantibus.
 35 Passim lucebant angiportus, lampadibus & facibus ante fo-
 res vbique constitutis. Mulieres etiam de testis prospicie-
 bant, honorandi spectandiq; eius viri causa, qui tam splen-
 dido præstantissimorum virorum comitatu domum repe-
 teret. Quorum quidem plerique maximis gestis bellis, triū-
 phis ductis, & terra mariq; auctis Romani imperij finibus

insignes inter eundem mutuo colloquebantur: fatabaturque multis quidem ducibus eius etatis deberi à populo Romano diuitias, spolia, & potentiam accepta ferri: securitatem autem & salutem vni Ciceroni, qui tale tantumque auertisset periculum. neque enim tam mirabile id videbatur, quod conatum istum perditorum hominum represserat, & fontes puniuerat, quam quod maximum omnium qui vnuquam extiterunt motum minimis malis, & absque seditione ac tumultu sedauerat. Etenim plerique eorum, qui ad Catilinam confluxerant, ut de Lentuli & Cethegi exitu cognitum fuit, deserto eo diffugerunt: cum reliquis ipse aduersus Antonium commisso praelio, cæsus est cum exercitu. Neque verò defuerunt, qui ob hæc Ciceronem maledictis iniuriisque vexare parati essent, duces nacti eos qui insequentiano magistratus essent gesturi, Cæsarem prætorem, Metellum & Bestiam tribb. plebis. Hi cum paucis ante finem consulationis Ciceroniani diebus magistratum occeperant, concionem eum habere passi non sunt: sed in rostris subsellia collocantes, conscendere eum, & verba ad populum facere vetuerunt, iusseruntque ut inferiori loco magistratum modo ei iuraret. Progressus ergo iurandi causa Cicero, silentio facto, non patrium, sed suum quoddam nouum iusiurandum dixit: Se vtrique patriæ salutem attulisse, & imperium conseruasse. idemque vniuersus populus iurauit. Qua re magis etiam Cæsar & tribb. plebis iritati, cum alia quibus conturbarent Ciceronem moliti sunt, tum legem de vocando cum exercitu ad Ciceronis potentiam dissoluendam Pompeio tulerunt. Verum eo tempore tribunus plebis M. Cato plurimum & Ciceroni, & toti ciuitati profuit, qui illorum conatibus pari potestate, maiore autem fretus gloria se opponerebat. Is & reliqua facile soluit, & pro concione consulationis Ciceronis iis laudibus tulit, ut & honores ei, omnium, qui Romano alicui vnuquam obtigissent, maximos decerneret, & patrem patriæ appellaret. Primus omnium hoc nomen tulisse videtur Cicero, ita à Catone apud populum salutatus. Cum autem plurimum eo tempore in repub. valeret, multis seipsum inuisum reddidit, nullo quidem malo facinore, sed quod seipsum identidem laudaret atque iactaret, eo multis offendens: nam neque senatus, neque populus conuenire, neque iudices poterant, quin Catilinæ & Lentuli

Cic. Se ei iurauit conculationem.

Cic. cur inuisus multis.

*In laudam
do ingenuis
tas.*

toli inculcaretur mentio. denique libros etiam suos laudibus suis repleuit, orationemque suam suauissimam alioquin & gratiosissimam auditoribus molestam effecit, hac veluti peste quadam assiduo infectam. Enimuero quanquā ita immodica teneretur arrogantia, fuit tamen ab inuidia vacuus, & cum priores, tum æquales liberalissime laudauit, id quod ex scriptis eius patet, &, quæ feruntur, dictis. Aristotelem aureum eloquentiæ flumen dixit: de Dialogis Platonis affirmavit, Iouem, si locuturus fuisset, eo sermone
 10 usurum: Theophrastum delicias suas appellare solebat: de orationibus Demosthenis interrogatus quam earum pulcerrimam putaret, Longissimam, respondit. Et tamen inueniuntur, qui cum se Demostheni fauere præ se ferant, dictum quoddam Ciceronis inuadunt, quod is in epistola
 15 quadam ad amicum scripserit, Demosthenem alicubi in orationibus suis dormire: obliti interim magnarum & admirabilium laudationum, quibus eum passim euehit, & quod is imitatione Demosthenis orationes suas, in quas plurimum studij contulerat, Philippicas inscripserit. Qui
 20 eodem tempore doctrinæ & sapientiæ nomine illustres fuerunt, horum nemo est, cuius non Cicero vel loquens de eo vel scribens amicè, gloriam auxerit. A Cæsare iam rerum potito ius ciuitatis Cratippo Peripatetico impetrauit: effecit èt, vt Areopagitæ decreto facto à Cratippo postulerent,
 25 vt tanquam ornamentum vrbis, Athenis maneret, ibique iuuentutem philosophicis studiis informaret. Sunt & epistolæ Ciceronis ad Herodem vna, altera ad filium, qua eum Cratippo se coniungere iubet. Gorgiam autem rhetorem incusans, quod filium ad voluptates & computationes illexisset, consuetudine eius prohibet: hæc vna ferè Græcarum Ciceronis epistolarum, & alia ad Pelopen Byzantium, obiurgatoriæ sunt. Ac Gorgiam quidem haud immeritò traducit, si quidem ita prauus, vt videbatur, & luxuriosus fuit. Cum Pelope autem minus liberaliter &
 35 morose expostulat, neglectum eius culpa querens, ne sibi à Byzantiis honores quidam certi decernerentur. Arrogantiæ quidem hæc sunt imputanda: sicut & illud, quod sæpe orationis vehementia elatus decorum prodidit. cuius generis quædam perstringemus. Cum Munatium in iudi. *Dicta alio
quod eius.*
 40 cio defendisset, ilque absolutus socium ipsius Sabinum
 45 accu-

„accusaret, ita fertur ira euectus Cicero fuisse, ut in hac ver-
 „ba prorumperet : Nimium tua opera, Munati, damnatio-
 „nem effugisti, nō me multas tenebras in luce iudicibus of-
 „fundente. M. Crassum pro concione laudans, placuerat.
 „Eundem cum paucis post diebus verbis proscinderet, isque
 „diceret, Nōne de hoc loco nuper me laudasti? Verō, in-
 quit, exercitationis causa de vili materia declamans. Cum-
 que idem aliquando publice dixisset, nullum Crassum Ro-
 mae ultra sexagesimum annum vixisse, idque deinde nega-
 ret, ac diceret, Quānam ego id de causa locutus essem? re- 10
 spondit Cicero : Sciebas Romanos id libenter audituros,
 itaque iis verbis gratiam eorum captasti. Eidem probari si-
 bi Stoicorum sententiam ferenti, qua virum bonum aiunt
 esse diuitem, Vide, inquit, ne id tibi magis arrideat, quod om-
 nia dicunt sapientis esse. nam avaritiæ crimine Crassus 15
 18 notabatur. Alter filiorum Crassi Axio cuidam erat forma
 similis, ideoque mater eius male audiebat, quasi cum eo adul-
 terium fecisset. Eius cum quædam oratio in senatu placuis-
 set, interrogatus Cicero quid sibi videretur, Græce respon-
 dit, Axius Crassu. Est autem Axius Græcis, quod Latinis di- 20
 gnus : itaque bifariam intelligi id dictum poterat, ut is vel
 dignus Crasso acciperetur, vel Axio patre natus, Crasso pro
 vero filio subditus videretur. Abiturus in Syriam Crassus,
 malensque amicum quam inimicum relinquere Cicero-
 nem, blande eum compellauit, & velle se cum eo cœna- 25
 re dixit : atque eum Cicero comiter accepit. Paucis post
 diebus de Vatinius, inimico & ipso, amici ad Ciceronem
 retulerunt reconciliari eum & in gratiam amicitiamque
 redire velle : tum Cicero, Numnam, inquit, Vatinius quo-
 que apud nos vult cœnare? Eundem Vatinium causam a- 30
 gentem, tumidum vocauit oratorem : quod collum stru-
 mum haberet. Cum eum mortuum esse audiuisset, &
 mox certò cognouisset eum viuere, Male, inquit, pereat,
 qui male mentitus est. Cæsare legem ferente de agro Cam-
 pano militibus diuidendo, cum multi in senatu id ægre fer- 35
 rent, L. quidam Gellius decrepitæ iam ætatis dixit, Nunquā
 id se viuente futurum. tum Cicero : Expectemus, ait, non e-
 nim longam dilationē petit Gellius. Erat quidā Octavius,
 qui Afer domo putabatur. huic quodam in iudicio Cice-
 ro, eum à se exaudiri neganti, Atqui, inquit, auris tua fora-
 mine

mine non caret. Metello Nepoti obuiienti, plures eum testimonio dicendo perdidisse, quam patrocinando seruasse, fallus est ita rem habere: plus enim sibi fidei quam facundia esse. Adolescenti cuidam, qui in placenta venenum dedisse patri ferebatur, minanti se conuictum ipsi facturum; Cicero, Id malim, inquit, quam placentam. Cum P. Sestio aduocatus in iudicium cum aliis nonnullis venisset, Sestiusq; neminem pro se quicquam dicere pateretur, sed ipse omnia vellet, cum eum iam absolutum iri à iudicibus
 10 appareret, & sententia ita ferrentur, Cicero eum ita notauit: Vtere hodie, Sesti, tempore, cras enim priuatus eris. P. Cortam hominem indoctum & heberem, sed qui iuris peritus videri vellet, in quadam causa testem citauerat. is cum nihil se scire diceret, Fortassis, ait Cicero, de legibus & iure
 15 te interrogari putas. Metello Nepoti in contentione quadam saepenumero quarenti, Quis fuit tuus, ô Cicero, pater? Ad talem, inquit, interrogationem vt tibi sit quam mihi respondere difficilius, mater tua fecit. mater enim Metelli impudica existimabatur. Ipse Nepos homo erat leuis,
 20 vt qui aliquando tribunatu plebis subito deserto ad Pöpeium in Syriam nauigârit, ab eoq; inconsultus redierit: se- 19
 peliens autem Philagrum præceptorem suum studiose, coruum lapideum monumento eius imposuit. Hoc, Cicero ait, prudenter fecisti: magis enim volare te, quam loqui docuit. M. Appio in actione cuiusdam causæ præfante, oratum
 25 se ab amico, vt diligentiam, facundiam, fidemq; adhiberet: tu verò, inquit Cicero, ferreus es, qui ne vnum quidem istorum, quæ amicus petiit, adhibueris. Enimuerò inimicos aut aduersarios acerbioribus insectari dictis, orato-
 30 rium videtur: proximum verò quenq; risus captandi gratia offendendo, multorum in se odia concitauit. cuius generis etiam pauca adseribam. M. Aquilium, quod is duos gene- 20
 ros exules haberet, Adrastum vocabat. L. Cotta, homine vinosissimo, censuram gerente consularum petebat Cicero:
 35 triciensque cum bibisset amicis circumstantibus, Recte, inquit, a vobis factum est. metuebatis enim ne mihi quod aquam biberem, censor, si vidisset, irasceretur. Voconio obuiam factus, tres insigniter deformes filias ducenti secum, verum hunc pronunciauit,

Phæbo hand sinente hic seminavit liberos.

- M. Gellio, qui videbatur non ingenuis parentibus ortus, magna & clara voce literas senatui recitante, Ne miremini, ait, ipse quoque unus est eorum qui proclamarunt. Cum
 21 Faustus Sylla, magni illius dictatoris Syllæ F. magnam bonorum partem decoxisset, & ære alieno pressus bona quæ-
 22 dam proscriptisisset, Hanc sibi melius placere, quam paternam proscriptionem dixit. Hac dicacitate multos sibi inimicos parauit: Clodiusque cum aliis aduersus eum conspirauit, nactus huiusmodi occasionem. Erat Clodius patricio
 genere natus, iuuenis audax & insolens. Is cum Pompeiam Cæsaris amaret uxorem, inque huius domo mulieres sacra
 Bonæ Deæ (quæ viris adiri spectare nefas) peragerent: vestitu & habitu psaltriæ sumpto occulte se ingessit, sperans
 se quod adhuc imberbis esset, latere posse, & ita per mulieres ad Pompeiam venire. Cæterum noctu in tam amplam
 15 ingressus domum, cum transituum esset ignarus, hinc atque hinc oberrans ab ancilla Aureliæ (mater hæc erat Cæsaris) conspectus est: iussusque nomen edere, & loqui coactus, querere se Auram Pompeiæ pedissequam dixit. Ancilla voce
 maris cognita exclamauit, ac mulieres conuocauit: atque illæ foribus clausis omnia loca perferutata, Clodium
 20 deprehenderunt, qui in cubiculum ancillæ, qua cum ingressus fuerat, confugerat. Hac re diuulgata Cæsar nuncium uxori remisit. Clodium pollutorum sacrorum postulat
 24 lauit *. Erat sane amicus Clodij Cicero, eiusque in negotio Catilinario promptissima opera, & custodia corporis
 usus fuerat. Verum tunc eo crimen ita depellente, ut affirmaret se tempore sacrorum istorum longissime ab vrbe abfuisse, testimonium Cicero contra tulit, Clodium tum ad
 se domum suam venisse, ac de quibusdam rebus collocutum affirmans. Erat quidem hoc verum: sed Cicero videtur
 non tam veritatis studio, quam ut se vxori Terentiæ purgaret, testimonium dixisse. Insenfa enim Clodio Terentia erat propter sororem eius Clodium, quam Ciceroni nubere cupere suspicabatur, idque agere per Tullium quendam
 25 dam, qui Ciceronis socius atque familiaris crebro ad Clodium in propinquo habitantem commeabat. itaque vxor morosa, & marito imperans, perpulit eum ut Clodium testimonio premeret. Multi etiam alij præstantissimi viri Clodium peierasse, falsum commississe, ambitus fontem
 esse,

Clodij flagitia.

esse, ac mulieres ab eo corruptas testari sunt. Lucullus etiam ancillas ad quaestionem praeiuit, quae eum cum sorore natu minima, dum ea vxor sua fuit, rem habuisse dicebant. Tenebat fama cæteris etiam duabus sororibus corpus eum miscuisse: Terentiae nimirum, quæ Marcio Regi, & Clodia, quæ Metello Celeri nupta fuit, quam & Quadrantariam appellabant, quod amator quidam ipsi quadrantes (æreum nomisma est, omnium minimum) in oculis pro argento miserat. propter hanc praesertim male audiebat

10 Clodius. Verum populo se testibus illis & aduersariis opponente, iudices sibi metuentes praesidio se cinxerunt, ple- *Iudicium consuepra- tum.*

rique etiam tabulas confusis literis scriptas intulerunt: pluribus tamen visus est absolui Clodius suffragiis. Largitione autem corrupti ferebantur. Itaque Catulus iudicibus

15 istis obuiam factus, Verè, inquit, securitatis causa praesidium petiistis: metuebatis enim ne quis vobis nummos eriperet. Cicero, cum ei Clodius obiceret, testimonio ipsius fidem à iudicibus non habitam, At verò, ait, mihi XXV. iudices crediderunt, qui te damnaverunt: tibi XXX. non

20 crediderunt, qui te non nisi prius accepta pecunia absoluerunt. Cæsar quidem vocatus testimonium aduersus Clodium non dixit, seq; vxorem pro adultera habere negauit: repudiasset autem eam, quod Cæsaris coniugium non facto modo turpi, sed etiam fama sinistra vacare debeat. Absolutus

25 Clodius, ac tribunus plebis creatus, statim Ciceronem insectari coepit, & contra eum omnes res, omnes homines concitare: itaque plebem sibi legibus gratis deuincire, consulibus magnas prouincias, nempe Pisoni Macedoniam, 26 Gabinio Syriam decernere, multorum inopum manum

30 contrahere, quorum opera propostum conficeret, seruos armatos secum habere. Summa tum potentia Crassus, Pompeius, ac Cæsar valebant. Ex his Crassus Ciceronem palam impugnabat, Pompeius eum ludificabatur, Cæsar cum exercitu in Galliam iturus erat. Hunc, quanquam non ami-

35 cum, sed ob Catilinariam rem simultatibus adhuc durantibus, Cicero subiit, orauitque vt se legatum in bellum secum duceret. Annuente Cæsare, Clodius videns Ciceronem ex tribunatu suo elapsurum, simulauit se cupere cum

eo in gratiam redire, Terentiae maiorem culpæ partem imputans, Ciceronisque mentionem honestam identidem *Cicero in exilium abiit.*

faciens,

faciens, ac præseferens, non odisse eum se, aut male ei velle, sed esse de quibus cum ipso amicè & leuiter queratur. Hac arte effecit, vt omni excusso metu Cicero, legationem Cæsarianam detrectaret, rursusq; ad repub. se conferret. Ea re irritatus Cæsar Clodium confirmauit, Pompeium à Cicerone abalienauit, atq; ipse apud populum testatus est, Videri sibi contra leges Lentulum & Cethegum reliquosq; indicta causa necatos. Huius enim rei causa Cicero postulabatur. Is itaque tum reus factus, & periclitans, vestem mutauit, comaque profluente obambulans populo supplicabat. At Clodius hominum petulantium & temerariorum caterua stipatus, vndiq; in angipõrtibus ei occurrebat, qui contumeliose mutatum Ciceronis habitum exagitantes, sæpe etiam luto & lapidibus iacentes supplicationes eius impediabant. Enimvero Ciceroni primum vniuersus fere equester ordo, vestem vnà mutans, & haud pauciores viginti millibus iuuenes promissis crinibusei in deprecando aderant. Deinde cum senatus conuenisset, vt populum veluti in publico luctu squalidum amictum sumere S. C. iuberet, eiq; rei consules repugnarent, Clodius autem cum armatis ante curiam oberraret: haud pauci senatores foràs excurrerunt, vestes dilacerantes suas & vociferantes. Qui aspectus cum nullam misericordiam, nullam verecundiam moueret, Cicero cum aut exulandum sibi, aut rem ferro decernendam sentiret, coactus est Pompeij implorare auxilium, qui tum dedita ad hoc opera se in agros apud Albanū subduxerat. Ad hunc primò Pisonem generum suum misit, deinde ipse adiit. Pompeius vt de aduentu eius cognouit, in conspectum venire non sustinuit, verecundia eius viri percussus, qui pro ipso grauiam sustinuisset certamina, & in ipsius gratiam multa egisset: sed tum Cæsare socero ita volente proditio officio referendæ gratiæ eum destituit, ac per aliud ostium elapsus congressum eius euitauit. Ita proditus defersusq; Cicero ad consules confugit: quorum Gabinus semper se difficilem præbuit, Piso autem humanius collocutus, suauis vt cederet, impetuiq; Clodiano se subduceret, mutationem temporum æquo animo ferret, rursusque patriam seditionibus & malis ipsius causa obiectam seruaret. Hoc responso accepto, cum amicis deliberauit: ex his Lucullus manere iubebat, vt victoria potiturum: alij fugere,

mox

mox enim populum furore & scelerib. Clodii saturatum,
 desiderio ipsius captum iri. Horum sententia approbata
 Cicero signum Mineruæ, quod diu domi dedicatum ha-
 buerat atque coluerat, in Capitolium portauit, ibique de-
 5 dicauit, hac inscriptione, MINERVÆ VRBIS CVSTO-
 DI. Deinde comitibus ab amicis acceptis, circa mediam
 noctem vrbe exiuit, ac per Lucaniam pedestri itinere con-
 tendit, Siciliam petens. Postquam fugisse eum innotuit,
 Clodius de exilio eius fert, edictumque proponit, quo a-
 10 qua & igni ei interdiceretur, neque testō eum recipere in-
 tra quingentesimum ab Italia miliare licitum esset. Nemo
 ferē id edictum curauit, reuerentibus omnibus Cicero-
 nem, omniq̃ue officio prosequētib. Hipponi, quæ vrbs
 est Lucaniæ, & nunc Vibo dicitur, Vibius homo Siculus,
 15 qui & alios multos fructus amicitia Ciceronis percepe-
 rat, & ab eo consule præfectus fabrū factus fuerat, veni-
 entem domo non recepit, pollicitus tamen est se ei locum 27
 in agro, vbi lateret, designaturum. C. autem Virgilius Sici-
 liæ prætor, qui plurimum Cicero vſus erat, missis lite-
 20 ris ei Sicilia interdixit. Debilitato eā ob rem animo, Brun-
 dusium perrexit, atque inde vento secundo Dyrrhachium
 vēctus, cū ventus ab alto contrarius incidisset, retrō vn-
 de venerat auectus est, deinde rursus traiecit. Ferunt eum
 iam littus apud Dyrrhachium attigisset, essetq̃ue in terram *Prodigium.*
 25 egressurus, simul & motum terræ extitisse, & mare æstu
 retrō absorptum: indeq̃ collegisse diuinos homines, haud
 diu eum exulaturum, quod ista signa essent mutationis.
 Quāquam autem multi ad eum beneuoli viri conueni-
 rent, Græcōq̃ vrbes certatim officiis prosequerentur: mœ-
 30 stus tamen, & in summo dolore vivebat, crebrō ad Italiam,
 vt infeliciter amantes ad amasias, respiciens, animo cala-
 mitate planē deiecto: quod de viro ita in optimis studiis
 diu multumq̃ versato nemo sibi pollicitus fuisset. Atqui
 frequenter ipse ab amicis postulabat, vt non oratorem se
 35 verum philosophum appellarent: nam se philosophiam, vt
 rem, sibi proposuisse: arte oratoria tanquam instrumento
 in rebus publicis tractandis vti. Sed profectō ea vis est glo- 28
 riæ, vt eius studium eorum qui in repub. versantur ex ani-
 mis doctrinam, veluti tincturam aliquam eluere possit, af-
 fectusque multitudinis ob consuetudinem in iis effingere:

nisi si quis admodum cautus ita cum hominibus agat, ut rerum non affectionum quæ eas sequuntur, particeps esse studeat. Clodius cieciti Ciceronis villas & domum incendit, inq; ea area ædem Libertatis ædificauit: bona eius venditauit, quotidie præcone ea proclamante. Sed nemo quicquam emebat. Terrori exinde optimatibus esse cœpit, populumque cuius libidini & temeritati habenas laxarat, secum trahens, ipsum etiam Pompeium adortus est, quædam ab eo dum bellageret constituta rescindens. Quapropter Pompeius infamia laborans, incusare seipsum, qui 10 Ciceronem proiecisset, mutatoque consilio in omnes se partes vertere, & reditum ei amicorum opera machinari. Cum intercederet Clodius, S. C. factum est, ne qua de re publica statueretur, nisi Ciceroni reditu decreto. Lentulo 15 consule, cum augeteretur seditio, ita ut & in foro vulnera rentur tribuni plebis, & Quintus Ciceronis frater inter caduera veluti mortuus lateret, animi populi mutari cœperunt, ac primus tribunorum plebis Annius Milo ausus est Clodium vi in iudicium trahere. Pompeio etiam se multi ex populo & vicinis vrbibus adiunxerunt, cum quibus ille 20 in forum progressus, pulso Clodio ad suffragia ciues vocauit. Nihil vnquam tanto populi consensu decretum ferunt. Senatus ne à populo hac in parte vinceretur, decreuit vt gratiæ agerentur vrbibus, quæ in exilio Ciceronem fouissent: vtque villæ eius & domus, quæ Clodius perdi- 25 derat, publicis sumptibus instaurarentur. Rediit Cicero decimosexto quàm fugerat mense. Tanto autem gaudio 29 ciuitates, tanto studio homines obuiam ei contenderunt, vt quod ipse postea Cicero dixit, minus quàm ipsa rei veritas fuerit, se humeris Italiæ Romam reportatum. Quando 30 Crassus etiam, inimicus eius ante exilium, reuertenti studiosè obuiam iuit, ac in gratiam rediit: gratificatus, vt aiunt, filio suo Publio, Ciceronis studioso. Paruo interiecto tempore, cum Clodium peregrè abiisse deprehenderet Cicero, multis comitantibus in Capitolium ascendit, & 35 tabulas, quibus res à Clodio in tribunatu plebis gestæ inscriptæ erant, deturbauit atque perdidit. Quam rem cum ei Clodius obiiceret, & ipse diceret, Clodium contra leges à patriciis ad plebeios transiuisse, neque eorum quæ e- gisset quicquam ratum esse: Cato molestè id tulit, ac con- tradixit,

*Reditus Ci-
ceronis.*

tradixit, non quòd Clodium probaret, cuius actiones admodum oderat: sed quòd iniquum & violentum fore censebat, si tot decreta & actiones senatus rescinderet, inter quæ & sua erat negotii Cyprii & Byzantii administratio. *Milo Clodius cædss.*
 5 Ea res fecit vt similtas inter Ciceronem & Catonem existeret, quæ tamen non in apertas inimicitias erupit, sed vsum tantum familiaritatis imminuit. Post hæc Clodium obruncat Milo: eaque de cæde postularus, patronum sumpsit Ciceronem. Senatus autem metuens ne illustri & animo viro Milone in iudicio periclitante tumultus in vrbe existeret, Pompeium huic & reliquis quæstionibus præfexit, ea lege, vt is urbem & iudicia tuta præstaret. Pompeius ante diem forum à summo ad imum militibus cinxit. Milo itaque metuens ne insolens conspectus armatorum Ciceronem perturbaret, isque eo deterius certaret in agenda causa, consuluit ei vt lætica in forum delatus, in ea se contineret, dum vniuersi conuenissent iudices. Cicero autem erat, vt apparet, non in armis modò timidus, sed & ad dicendum trepidè accedebat, vixque titubandi & tremendi finem faciebat plerisque in certaminibus, prouecta iam oratione & augeſcente. idemq; Licinium Murenam à Catone accutatum defensusurus, cum Hortensium superare contenderet florentem tunc laude eloquentiæ, nullam noctis partem conqueiuit: ita vt nimis curis vigilisque læsus, deterior scipſo visus fuerit. Tum ergo ex lætica ad
 10 dicendam pro Milone causam progressus, cum sublimi loco Pompeium tanquam in castris sedere, arma circumiecta foro splendere conspexit, conturbatus egrè tandem dicendi initium fecit, corpore antè toto tremente, ac voce suppressa, cum quidem ipſe Milo fortiter sanè constantique animo adſtaret, dedignatus etiam comam alere, aut pul-
 15 lam vestem induere: quod quidem haud parum fecisse ad damnationem eius videtur. Verùm hoc tamen iudicio factum est vt magis amicorum stultior quam timidus crederetur Cicero. Augur in locum Crassi iunioris apud Par-
 20 thos interfecti creatus est. Sortitus deinde prouinciam Ciliciam, & exercitum duodecim peditum milia, equites bis mille sexcentos continentem, Roma nauigauit. Mandatum ei erat, vt Cappadociam regi Ariobarzani beneuolam & obedientem redderet. Non hæc modò ita
 ddd 2 absque

*Ciceronem
in Cilicia
res gestas*

absque bello confecit, vt reprehendi à nemine posset: sed
 & Cilices ob Parthicam Romanorum cladem, & res nouas
 in Syria existentes mansueta prouinciæ gubernatione con-
 tinuit. Munera regibus offerētibz repudiavit: cœnas pro-
 uincialibus remisit, quotidie autem ipse vrbaniorez ex illis,
 conuiuio non sumptuoso quidem, sed liberali tamen ad-
 hibebat. domus ipsius nullo ianitore tenebatur, neque ip-
 sum cubantem conspexit quisquam, sed prima luce ante
 domum suam stans aut obambulans salutantes excipiebat.
 Ferunt eum neq; virgis cœcidisse quenquam, neque vestes 10
 vllius deripuisse, neq; conuicium per iram fecisse cuiquam,
 neminem etiam contumeliosè mulcasse. Cùm inuenisset
 multos peculatus per prouinciam factos, cùm iis quæ sur-
 repta erant restituendis vrbes ditauit, tum iis qui ablata
 redderent nullo præterea supplicio affectis integram fa- 15
 mam conseruauit. Bellum quoque attigit, latronibus qui
 Amanum montem infederant profligatis: eiusq; rei cau-
 32 sa imperator à militibz est appellatus. Cœlio autem orato-
 ri petenti, vt sibi ad ludos quosdam pantheras mitteret,
 ostentans res à se gestas ita rescripsit: Non esse pantheras 20
 in Cilicia, sed omnes diffugisse in Cariam, quod ægrè fer-
 rent omnibus aliis pacatis se vnas bello infestari. E prouin-
 cia decedens Rhodum appulit. Athenis autem desiderio
 actæ olim ibi vitæ aliquantis per commoratus, cum doctis-
 25 simisq; viris collocutus, amicis & familiaribus salutatis,
 dignisque honoribus à Græcis acceptis Romam reuersus
 est, iam republica velut ex inflammatione quadam in bel-
 lum erumpente ciuile. Ibi cùm in senatu de triumpho ei
 decernendo agerent, lucundius sibi fore dixit compositis
 discordiis Cæsaris triumphantis currum sequi. Priuatim 30
 quoque & Cæsarem per literas, & Pompeium coram de-
 precans, autor pacis fuit, mitigare vtrunque & placare ten-
 tans. Postquàm insanabile malum esse vidit, & Cæsare ad-
 uentante Pompeius non substitit, sed cum multis & bonis
 viris Roma cessit: in hac quidem fuga Cicero non fugit, ad- 35
 eoque Cæsari visus est accedere. Et verò constat diu eum
 consilii incertum fuisse, grauique sollicitudine in vtran-
 que partem distractum. Scribit enim in epistolis: Quò me
 vertam? cùm Pompeius quidem gloriosam & honestam
 belli causam habeat, Cæsar autem rem melius gerat, ma-
 gisque

*Studium
paci.*

- gisque suæ & amicorum salutis consulat. quem fugiam habeo, non autem ad quem confugiam. Cum Trebatii, vnius de amicis Cæsaris, epistolam accepisset, quæ ostendebat Cæsaris eam esse sententiam, debere Ciceronem omnino sibi se adiungere, eandemque spem sequi: si tamen ob senectutem à bello abhorreret, in Græciam proficisci, & ab utraque parte remotum ibi quietem agere. miratus Cæsarem ipsum nihil scripsisse, respondit, Nihil se suis rebus gestis indignum commissurum. Cæterum profecto
- 10 in Hispaniam Cæsare, statim ad Pompeium nauigauit. Aduentus eius gratus omnibus aliis fuit. Cato autem priuatim eum grauitè obiurgauit, qui se Pompeio adiunxisset. *Pompeium sequitur.* Se quidem dicebat honestè non potuisse eam, quam ab initio delegisset, reipublicæ constitutionem deserere. Ciceronem autem, qui & patriæ & amicis utilior fuisse potuerit, si neutram partem secutus ad euentum se accommodasset, inconsultè & nulla necessitate hostem Cæsaris factum ad tanti periculi societatem venisse. Cum hoc Ciceronem ut consilii poeniteret effecit, tum quod nulla magna in re opera eius Pompeius utebatur. in causa fuit ipse
- 20 Cicero, non negans se poenitere facti sui, & apparatus Pompeii exagitans, occulteque consilia eius improbens, & à facietis diueris in socios non abstinens, ac cum ipse austerò vultu in castris circummiret, subinde aliis ridendi
- 25 occasionem intempestiuè obiciens. Non abre est, quædam eius generis narrare. Domitio hominem belli imperitum militari imperio præficere volenti, eiusque morum probitatem & temperantiam laudanti, Cur ergo, inquit, non eum liberis tuis tutorem seruas? Laudantibus quibusdam Theophanem Lesbium fabrum in castris præfectum, quod Rhodios de amissa classe pulchrè esset consolatus, Magnum verò, inquit, bonum est, Græcum habere præfectum. Cum Cæsari pleraque succederent, & is Pompeianos quasi in obsidione haberet, Lentulo dicenti audisse se
- 30 amicos Cæsaris tristes esse, Ais, inquit, eos à Cæsare dissentire. Marcio cuidam, qui recens ex Italia cum venisset, rumorem Romæ esse ferebat Pompeium obsideri. Ergo, inquit, propterea huc nauigasti, ut coram ipse spectans crederes. Post acceptam cladem Nonio affirmante, bonam spem restare, superesse enim septem aquilas in castris
- Dilectia in Pompeii apparatu.*

Pompeii præclare eum dicere respondit, siquidem aduersus graculos bellum gereretur. Labieno ex vaticinationibus quibusdam asseuerante, omnino victoriam Pompeii fore: Nunc ergo, inquit, quod amissimus castra nostra, id dolo quodam bellico à nobis factum est. Enimuerò pugna apud Pharsalum facta, cui Cicero ob inualetudinem non interfuit, & fugato Pompeio, Cato qui Dyrrhachii magnas copias & numerosam classem habebat, Ciceroni nimirum legibus & ob dignitatem consularem se præstantiori, imperium detulit. Quod cum recusaret Cicero, & omnino cum illis amplius militare subterfugeret, Pompeius iunior & amici proditorem eum vocantes, & gladios stringentes occidissent, nisi Cato obstitens eum cædi eripuisset, & ex castris amandasset. Cicero Brundisium appulit, ibique Cæsarem præstolatus est, ob negocia Asiatica & Ægyptia morantem. Qui ut nunciatus est Tarentum applicuisse, atque inde terrestri itinere Brundisium proficisci, occurrere ei statuit, non quidem admodum diffidens, sed veritus tamen nonnihil in tot hominum conspectu victoris hostis animum experiri. Verum ille metus superuacaneus fuit. Cæsar enim ut eum longè ante alios occurrere sibi vidit, ex equo descendit, hominemque salutauit: cumque eo solo colloquens per multa stadia processit. Exinde constanter eum honore & beneuolentia prosecutus est: aded, ut laudationi quoque Catonis ab eo scriptæ respondens, vitam & orationem Ciceronis, ut Periclis maximè & Theronis similia laudaret. Oratio Ciceronis Cato, Cæsaris Anticato inscribitur. Quæ etiam Ligario accusato, quod in hostium Cæsaris numero fuisset, ac Cicerone eum defendere aggresso Cæsarem dixisse ferunt: Quid obstat, quo minus aliquandiu Ciceronem audiamus orantem? nam Ligarius sanè iam pridem malus homo & hostis est iudicatus. Ut verò orsus dicere Cicero mirificè animos mouit, & oratio cum varietate affectuum tum venustate mirabili creuit, varios in Cæsaris vultu colores apparuisse, neque fessisse eum animum varias in partes versantem: & tandem cum ad Pharsalici prælii mentionem orator peruenisset, victum animi perturbationibus contremuisse corpore, & quasdam schedas manibus ei excidisse. Ligarium quidem vi eius orationis expugnatus absoluit. Porro reipublicæ for-

Cæsar Ciceroni agnoscit.

eæ forma mutata, & omnibus in potestatem vnus red-
 ctis, Cicero publicorum negotiorum dimissa cura, adole-
 lescentibus philosophiæ studiosis vacauit: eorûque se-
 re consuetudine (erant enim nobilissimi & primarii) ite-
 rum in vrbe plurimû valuit. Occupabat autem suam ope-
 ram in scribendis philosophicis dialogis, vel conuertendo
 aliquid de Græco, & vocabulis Dialecticorum ac Physico-
 rum in Latinum sermonem transferendis. Hic enim est, vt
 perhibent, qui de Græcis nominibus visa, assensionem, as-
 10 sensionis retentionem, perceptionemq; tum indiuiduum,
 vacuum, & multa horum similia aut primus expressit, aut
 maximè omnium Romanorum vsitata & nota reddidit,
 pro Græcis vocibus Latinas commodis translationibus aut
 aliis proprietatibus effingens. Sua in scribendo carmine fa-
 15 cilitate animi causa utebatur: fertur enim quoties ad eam
 rem se dedisset, vna nocte quingentos versus fecisse. Eius
 temporis maiorem partem in prædio suo apud Tusculum
 exigens, amicis scribebat, Laertæ vitam se viuere: siue ita
 iocabatur, siue omnino præ ambitione immodico reipubl.
 20 desiderio ardens, præsentem rerum statum iniquè ferebat.
 Rarè autem in urbem veniebat, idque colendi Cæsaris cau-
 sa: princepsque erat eorum, qui honores ei decernerent,
 nouique aliquid in laudem eius, & rerum ab eo gestarum
 dicere studerent. Cuius generis est, quod de Pompeii sta-
 25 tuis, quæ cum ab aliis deiectæ essent, iussu Cæsaris restitua-
 tæ erant, dixit, Ea humanitate sua Cæsare Pompeii statuas
 erexisse, suas verò fixisse. Cum autem animum induxisset
 (vt traditum est) Romanam historiam conscribere, multâ-
 que ei operi de Græcis rebus immiscere, & omnes eorum
 30 fabulas narrationesque inferere, multis publicis priuatis-
 que casibus aduersis impeditus est. quorum tamen maiori
 parti causam ipse videtur præbuisse. Primum cum Teren-
 tia diuortium fecit, quod tempore belli ab ea ita neglectus
 35 fuisse, vt & necessario viatico destitutus dimitteretur, neq;
 reuertens in Italiam sui eam curam gerentem reperiret,
 nam neque Brundisium ipsa venit, cum diu ibi Cicero mo-
 raretur: & filia eò proficiscenti adolescentulæ ad tam lon-
 gum iter neque comitatum, neq; sumptus, vt par erat, præ-
 buit: quin & domum Ciceronis inanem omnium rerum
 vacuumque redegit, multis insuper nominibus factis, gra-
 uique

*Cicero otia
se dedit.*

*Terentiam
repudiat.*

uique ære alieno conlato. Hæ sunt, quæ honestissimæ fe-
 rûtur eius diuortii causæ: quas ipsas neganti veras esse Te-
 rentiæ, defensionis argumentum præbuit, ducta non mul-
 to post virgine. Id amore formæ factum Terentia sparge-
 bat rumorem: Tiro libertus Ciceronis, vt esset, qui æs alie-
 num dissolueret. Erat enim puella diues admodum, eiûsq;
 bona fidei suæ commissa Cicero hæres ab ea scriptus ser-
 uabat: & cum magnam pecuniæ summam deberet, persua-
 sum ei ab amicis est, vt eam duceret, ipsiusque pecunia cre-
 ditoribus satisfaceret. Antonius in Philippicarum refuta-
 tione nuptiarum earum mentionem faciens, eiecisse eum
 mulierem ait, apud quam consenuisset: eleganter Cicero-
 nem notans, quod à negociis & bello ociosus domi semper
 hæsisset. Paulo post nuptias istas filia Ciceronis in partu a-
 pud Lentulum periit, cui post Pisonis mariti prioris mor-
 tem nupserat. Ad consolandum verò Ciceronem vndique
 philosophi conuenerunt. Nam nimis quàm grauitè eum
 casum ferebat, ad eò vt vxorem quoque repudiarit; quod
 morte Tulliæ voluptatem cepisse videbatur. Hoc modo
 res domesticæ Ciceronis habebant. Coniurationis autem
 in Cæsarem particeps non fuit, quanquam summus Bruti
 amicus esset, neq; eo quisquam præsentè statum iniquius
 ferret, amissamve rempub. magis desideraret. Verùm illi
 cum ingenium Ciceronis metuebant, natura timidum: tum
 ætatem, qua etiam fortissimorum hominum audacia defi-
 cit. Interfecto Cæsare, & amicis cæsi coeuntibus, cum pe-
 riculum esset ne ciuitas denuò bello intestino concutere-
 tur, Antonius consul senatu conuocato de concordia pau-
 cis verbis dixit. Cicero autem copiosam, & tēpori illi con-
 gruentem orationem habuit: persuasitq; senatui, vt Athe-
 niensium exemplo obliuionem eorum, quæ de Cæsare ac-
 ta essent, sancirent: Brutoq;, & Cassio, ac sociis eorum pro-
 uincias decernerent. Sed horum nihil perfectum fuit. Nam
 populus cum vltro ad miserationem Cæsaris trucidati du-
 ceretur, vt funus efferri per forum vidit, Antonio insuper
 vestem eius cruore oppletam & plurimis vulnerib. discif-
 sam ostentante, ira ad furorē concitatus p forum percussor-
 es Cæsaris quæsiuit: arreptoq; igne ad domos eorum ac-
 currit, easq; in flammam conatus est. Illi hoc euitato pericu-
 lo, quod præuiderant, & se contrà munierant, cum multa
 alia

Tullia
mors.

alia & magna imminere viderunt, vrbe cesserunt. Statim
 verò Antonius elatus, omnibus terrori fuit, tanquā regnum
 inuasurus: maximè autem omnium Ciceroni, cuius cum
 redintegratam in ciuitate potètiā videret, Bruti què ami-
 5 cum esse nosset, præsentiam eius molestè ferebat. augebant
 odium similitudines iam antè ob vitæ & morum dissimilitu-
 dinem obortæ. Hæc metuens Cicero, statuit cum Dolabel- *Actapo. p. 7*
 la in Syriam legatus proficisci. Cum autem consules post *mortē Ca-*
 Antonium designati Hircius & Panfa, boni viri, & Cicero- *saris.*
 10 nis imitatores, orarent ne ipsos defereret, promitterent què
 se præsentē eo Antonium oppressuros: neque fidens eis pla-
 nè, neque dissidens, iussu valere Dolabella, cum Hircio &
 Panfa pactus se æstatem Athenis acturum: cum què ipsi con-
 sulum ocepissent rediturum, solus nauigauit. Mora au-
 15 tem nauigationi iniecta, cum (vt fieri assolet) noui Roma
 adferrentur nuncij, Resipuisse Antonium, & mirificè mu-
 tatum omnia secundum voluntatem senatus agere: id mo-
 dō ad optimum reipublicæ statum deesse, quod ipse Roma
 abesset: seipsum propter nimiam culpans timiditatem, re-
 20 uersus est Romam. Prima spes non sanè eum fefellit. tanta
 enim multitudo ei obuiam effusa est, vt totus ferè dies ex-
 cipiendū eum dextrasquè iungendo apud portas exactus sit.
 Postridie ab Antonio senatus conuocatus est, atque ipse et-
 iam vocatus: sed non venit, prætexens se malè affecto ob
 25 nauigationem corpore decumbere: re ipsa autem id metu
 insidiarum faciebat, quas sibi structas suspicabatur ex indi-
 cio ad se in via delato. Antonius grauiter ea contumelia iri-
 tatus, militibus missis adduci eum, aut domum incendi ius-
 sit: multis tamen obstantibus & deprecantibus, pignoribus
 30 ab eo acceptis quieuit. Reliquum tempus paulatim sibi al-
 ter ab altero cauentes, mutuo què vitantes, exegerunt: do-
 nec Cæsar iunior Apollonia aduenit, hæreditatem què Cæ-
 saris interfecti creuit, & propter millies sestertiū, quod
 Antonius de bonis Cæsaris detinebat, cum eo litem contra-
 35 xit. Eo tempore Philippus vitricus, & Marcellus sororis ma-
 ritus, adolescentem Cæsarem ad Ciceronem adduxerunt: C. Cicero-
 pacti què sunt: vt ei Cicero suam in dicendo & republica po- *ostansani*
 tentiam in senatu & apud populum accommodaret: vicis- *nis in An-*
 sim què Cæsar opibus eum suis & armis (multos enim iam *tonis con-*
 tum milites Cæsarianos secum habebat) tutum præstaret. *spiratio.*

Videbatur autem Cicero perquam libenter amicitiam Cæsaris amplecti. Nam Pompeio adhuc & Iulio uiuentibus perquirerem imaginatus erat, vocare se nonnullos patricios pueros in Capitolium, ex quibus Iupiter vnum ducem Romæ deligeret: accurrisse autem ciues certatim, & templum circumstetisse, puerosq; pretextatos tacite assedissee. tū subito foribus apertis pueros surrexisse, & in orbē circum Deum obuiisse, eumq; omnes inspexisse, ægreq; ferentes dimisisse. vt verò accessit Octauius, cum Deum manum ad eum protendisse, ac dixisse: Hic ô Romani dux vester factus finem 10 ciuilibus bellis imponet. Et pueri eius speciem animo comprehensam fertur retinuisse Ciceto, cum ipsum non nossent. Postridie cum in campum Martium descendisset, ac pueri iam ab exercitationibus discederēt, primum omnium eum Ciceroni visum eadem qua in somnis forma: itaq; eum admiratione perculsum, quæsiuisse quinam parentes eius essent. (Erat autem filius Octauij, viri non planè illustis, & Attiæ, sorore Cæsaris natæ: itaq; Cæsar eum, quod liberos non habebat, testamento filium & hæredem instituerat) atque exinde Ciceronem aiunt quoties occurrisset Octauio 20 puero, accuratè eum eo collocutum, & puerum hoc eius studium amicè probasse. ita autem fortuna tulerat, vt Cicerone consule nasceretur. Hæ igitur Ciceronis cum Cæsare coniunctionis occasiones ferebatur. Enimuerò Ciceronem odium in Antonium primò, deinde ambiciosum ingenium 25 Cæsari cōiunxit, sperantem se eius potentia auctum eo maiorem in republica fore. nam adolescens ita ei se submittebat, vt patrem quoq; eum suum appellaret. Quod indignissimè ferens Brutus, in epistolis ad Atticum Ciceronem culpat, qui metu Antonij Cæsarem colens, palam ostendat se 30 nō libertatē reip. querere, sed dominum sibi ipsi benignum. Filium tamen Ciceronis Brutus Athenis apud Philosophos degentem ad se recepit, eoq; vsus legato multas res feliciter gessit. Maximè tunc Romæ potentia Ciceronis vigeat, ita vt quidquid vellet obrinens Antonium factione sua 35 ætū vrbe eijceret, duosq; consules Hircium & Pansam ad bellum ei faciendū mitteret: effecit etiam, vt senatus Cæsari, tanquam pro patria bellum gerenti, lictores, honoresq; prætorios decerneret. Victo Antonio, & utroq; cōsule mortuo, cum post pugna ad Cæsarem copiæ confluerent, senatus sibi

5 tus sibi à iuvene fortuna ita secunda vso metuens, donis &
 honoribus ab eo auocare copias intendit, non indigere se
 propugnatoribus dicens, Antonio iam profligato. Id Cæsar
 timens, submisit ad Ciceronem qui ei persuaderent, vt sibi
 10 Cæsarique consulatum adipisceretur, res autem omnes suo
 arbitrio administraret, & adolescentem Cæsarem gloriæ
 honorisque cupidum ipse regeret. Ac fallus est quidem ipse
 Cæsar, se cum periculum esset ne opprimeretur & desitue-
 retur, Ciceronis ambitione tempestiuè vsum fuisse, eoque
 15 adiuuante consulatum petisse. Cicero sanè tum senex à iu-
 uene inductus deceptusque, in petitione consulatus eum
 iuuit, senatusque ei voluntatem conciliauit: quam ob rem
 statim ab amicis culpatus, paulo pòst & se perditum, & li-
 bertatem populi à se proditam sensit. Cæsar enim consula-
 20 tum potentiamq; adeptus, iussu valere Cicerone, cum An-
 tonio & Lepido amicitiam contraxit: collataque in vnum
 omni potentia, imperij Romani quasi hæreditatis alicuius
 diuisio inter eos facta est: proscriptique, qui necarentur,
 25 viri plures quam C. C. Maxima inter eos contentione de
 proscriptione Ciceronis certatum est, cum Antonius nisi
 necato Cicerone pacem se accepturum negaret, Lepidus-
 que ei adstipularetur, Cæsar autem vtrique repugnaret.
 Conuenerunt soli tres isti occultè apud Bononiam, in loco
 aqua circumfluo procul à castris, totoque triduo inter se
 30 collocuti sunt. Tertia die Cæsar fertur, cum biduum pro
 Ciceronis salute certasset, concessisse vt is proscriberetur.
 Fuit autem permutatio ita instituta, vt Cæsar Ciceronem,
 Lepidus Paulum fratrem, L. Cæsarem auunculum Antonius
 35 proscribi permetterent. Adeò ira eis & rabies omnes huma-
 nas cogitationes excusserant: imò autem illi demonstraue-
 runt, nullam esse belluam sæuiorem homine potestate ad
 exequendum quod perturbato animo decreuit armato. E-
 rat tum in Tusculano Cicero, vnà cum fratre. Vt de proscrip-
 tione renunciatum est, statuerunt A styra descendere, præ-
 40 dium Ciceronis maritimum, atque inde ad Brutum in Ma-
 cedoniam nauigare, quem obtinere iam istas regiones ru-
 mor ferebat. Ferebantur autem læticis, mœrore confe-
 cti: & sæpe in itinere subsistebant, iunctisque læticis for-
 tem suam deplorabant. Magis tamen Q. Cicero mœrebat,
 penuriæ recordatione motus quòd neq; ipse quicquam se-
 cum

*Cæsar cū
 Antonio
 reconciliatus.*

*Cicero
 proscribitur.*

*Q. Cicero
perit.*

cum domo abstulisset, & fratri quoque, viaticum erat perexigu-
uum: itaque præstare dicebat, ut M. Cicero fugam occupa-
ret, ipse domum recurreret, & rebus conuasatis sequeretur.
Hoc consilio probato, mutuo se complexi, facta salutatio-
ne digressi sunt. Et Quintus quidem paucis post diebus à ser-
uis proditus, & percussoribus traditus, una cum filio neca-
tus est. Cicero autem Astrya perrexit: inuentoque ibi nauigio,
statim soluit, & usque ad Circæum vento perlatus est. Inde
cum recta nauigaturi essent gubernatores, siue maris metu,
siue quod nondum omnino de fide Cæsaris desperasset, in
terram exiit, pedestri itinere ad centum stadia Romam
versus profectus est. rursus deinde animo æstuans, mutata
sententia ad mare descendit, ibique pernoctauit, incertus
animi, & varia atque graui consilia agitans. nam id etiam
cogitabat, occultè in domum Cæsaris intrare, sequè apud
lares eius ingulare, eoque diras in eum ultrices concitare.
A quo consilio metu tormentorum depulsus, aliisque rur-
sum tumultuosis cogitationibus ductus, famulis se deuen-
35 hendum mari commisit, ad prædia iuxta Capuam. Habe-
bat enim ibi prædia, & commodum tempore æstiuo refu-
gium, cum suauissimi sunt Etesiarum flatus. Erat & parua
ibi Apollinis ædes supra mare. ex ea corui confertim aduo-
lantes cum clangore nauim Ciceronis terræ accedentem
petierunt, & utrinque in sessis antennis partim crocitarunt,
partim rudentum capita rostris momorderunt. idque ab
omnibus pro infausto signo est acceptum. Egressus tamen
est Cicero, & villam intrauit, ibique quietis captandæ cau-
sa accubuit. Corui autem ad fenestram assidentes, clamo-
rem importunum ediderunt: unusque eorum ad lectum ad-
uolans, Ciceronis vestem, qua se velauerat, paulatim rostro
à facie detraxit. Hæc videntes serui, suamque ipsorum igna-
uiam damnantes, quod inspicere heri eadem sustinerent,
& non defenderent potius eum, cuius pro salute indigna
fortuna vtentis etiam bruta animantia sollicita essent, par-
tim exoratum, partim inuitum in lectica ad mare detule-
36 runt. Interim percussores superueniunt Herennius centu-
rio, & Popillius tribunus militum, quem olim de paterna
cæde postulatam defenderat Cicero, cum ministris. Cum
autem fores clausas inueniret, iisque effractis neque intus
reperiretur Cicero, & scire se ubi esset reliqui negarent, fe-
runt

- runt adolescentem quendam Philologum nomine, liber-
tum Quinti, & à Cicerone in bonis literis educatum, Po-
pillio indicasse, lecticam per syluestres & vmbrosas ambu-
lationes ad mare deferri. Is ergo paucis comitatus ad exi-
tum accurrit. Herennio cursim per ambulationes prope-
rante, sensit rem Cicero, famulosq; deponere lecticâ iussit:
ipse more suo læua mentum tangens, immoto vultu in per-
cussos intuitus est, squalore oppletus, & eoma profusa, fa-
cie ob solitudines cōfecta, ita vt pleriq; necante eum He-
rennio ora velauerint sua. Iugulatus est autem, collum ex
lectica protendēs, annum ætatis agens sexagesimū & quar-
tum. Caput eius, & manus, quibus orationes in Antonium *Cædes Ci-*
Philippicas scripserat, iussu huius amputauit Herennius. *ceronis.*
Quæ cū essent Romam allata, Antonius qui tum fortè co-
mitia habebat, audita re, & visis membris, exclamauit, Fini-
tas iam esse proscriptiones: ac pro rostris poni manus ca-
putq; Ciceronis iussit, horrendum Romanis spectaculum.
non enim Ciceronis se videre faciem, sed imaginem animi
Antonij putabant. Vnum tamen id Antonij factum equum
viderur, quòd Philologum Pomponiæ Q. Ciceronis vxo-
ri dedit: quæ eum cū alijs grauibus cruciatibus vlta est,
tum vt suas ipse carnes paulatim abscinderet, assaret, atque
comederet, coegit. sic enim nonnulli scriptores tradide-
runt, eum Tiro libertus Ciceronis ne verbum quidem de
proditione Philologi scripserit. Audio Cæsarem longo pòst
tempore ad sobrinum quendam ingressum, eumq; Cice-
ronis librum quendam in manibus habuisse, perterritum-
que veste eum inuoluisse: Cæsarem autem cū id animad- *Cæsar de*
uertisset, librum arripuisse, ac stantem magnam eius par- *Cicerone.*
tem perlegisse, tum adolescenti reddidisse, atque ita fatum:
Doctus hic vir fuit, fili, doctus & patriæ amans. Sanè vt
primū debellauit Antonium, consul creatus collegam
assumpsit Ciceronis filium: quibus coll. & Antonij statuas
senatus deiecit, & honores ei antea decretos rescidit: de-
creuitque, ne quis vnquam Antoniæ gentis Marci
prænomen ferret. Ita fatum finem pœnarum,
quas Antonius luit, in Ciceronis do-
mum intulit.

COMPARATIO CICERONIS

cum Demosthene.

Eloquen-
tia.

Retulimus, quæcunque memoratu digna de Cicerone & Demosthene cognouimus. Omissa autem facundiæ eorum comparatione, id tamen videor non rectè præteriturus fuisse, quod Demosthenes quicquid eruditionis & ingenio cōsecutus est, & exercitatione, id omne ad dicendum contulit: & vi dicendi eos qui causas iudiciales tractant, & forensia certamina obeunt, magnificentiā & fastu orationis eos qui demonstratiuo causarum genere facundiam ostentant suam, accuratiōe & arte rhetores superauit. Cicero autem cum ad orationes magnam doctrinæ scientiæque varietatem contulisset, libros tamen præterea multos de philosophia Academicorum more composuit: atque etiā in orationibus quas de controuersijs iudicialibus scripsit, haud obscure peritiā suā literarum, doctrinamque ostendit. Iam ex orationibus utriusque ingenium quale fuerit perspicui potest. Demosthenis enim oratio absque omni fūco & ioco ad grauitatē seriā contracta, non lucernam (ut cauilabatur Pytheas) olebat, sed aquæ potum, curas & morum eius amarorem, qui ferebatur, austeritatemque. Cicero facerij ad scurrilitatem sæpenumero prolapsus, resque serias risu & ioco utilitatis suæ causa in iudicijs agitans, decorum negligebat: ut cum in Cælij causa diceret, Non absurdum esse, eum in tanta magnificentiā hominum luxu- que voluptatibus studere: insani enim esse, non uti ijs quæ concessa sint, præsertim cum nobilissimi philosophi summum bonum in voluptate collocet. Ferunt etiam eum cum consul accusatum à Catone Murenam defenderet, multis verbis Stoicam sectam, à qua erat Cato, & eorum quæ uocant paradoxa exagitalle: quā ob rem cum risus in corona obortus ad indices usque peruaderet, Catonem leniter subrilisse, & assidentibus dixisse, Quam ridiculum habemus consulem. Videtur omnino risu & facerij natura delectatus Cicero, & uultus ad eum placidus atque subridens erat. Demosthenes autem austerus semper, cogitabundusque videbatur: unde factum, ut ab inimicis (ut ipse refert) morosus, difficilibusque præditus moribus diceretur. Quin & ex scriptis utriusque hoc apparet, Demosthenem circumspicere & modeste ad seipsum laudandum accessisse, cum ita

Propria
litteræ.

res maioris utilitatis causa postularer, alioquin cautum fuisse & moderatum. in Ciceronis autem scriptis immodica illa sui ipsius prædicatio, notam ei inussit intemperantis arrogantia, qua ductus exclamauit,

5 *Cedant arma toga, concedat laurea lingua.*

atq; ad extremum non iam facta modò sua & actiones, sed orationes etiam habitas à se aut scriptas prædicauit: quasi cum Anaximene aut Isocrate sophistis certaret, non populum Romanum ducere se, & erigere iactaret,

10 *Marte prementem hostes, & debellare peritum.*

Equidem eum qui in repu. potentia præstare velit, eam eloquentia sibi parare necesse est: cõtentum autem esse gloria facundia, inque ingluuie quasi eius acquiescere, non est ingenuum. Qua in re grauior est magnificentiorque Demo-

15 isthenes, qui suam facundiam peritiam esse quandam multè auditorum beneuolentiæ indigentè professus, qui eius causa superbirent, illiberales & sordidos, vt sunt, pronuntiabat. In rep. & concionibus par vtiusque vis fuit, ita vt ij etiam, qui arma exercitusque sua in potestate habebant, co- Potentia
in rep.

20 rum opem requirerent, vt Chares, Diopetthes, Leosthenes Demosthenis: Ciceronis, Pompeius & Cæsar Octavianus, quod hic ipse in commentarijs ad Mæcenatem & Agrippam testatur. Id autem, quod maximè omnium mores hominis & ingenium declarat atque probat, nempe inagistratus alicuius administratio & potestas, quæ omnes animi affectus excitat, omneque detegit vitium, Demostheni defuit, neque exhibuit de se specimen aliquod: nullum enim insignem magistratum gessit, ac ne eas quidem, quas aduersus Philippum collegerat copias, duxit. Cicero autem quæstor

30 in Siciliam, proconsul in Ciliciam & Cappadociam missus eo tempore, quo maximè auaricia vigeat, & magistratibus, qui in prouincias mittebantur, ad rapinas (quod furari nimis sordidum putarent) conuersis non iniquus qui accipiebat videbatur, sed qui modicè raperet, diligebatur: præclare suam in cõtemnenda pecunia magnanimitatem, benignitatemque & humanitatem demonstrauit. Romæ autem verbo quidem consul, re ipsa dictator aduersus Catilinariam factionem creatus, Platoni testimonium tulit, qui finem malorum in repu. fore dixerat, cum diuina quadam fortuna potentia magna & prudentia cum iusticia in vnum Magistratus
111.

conue-

*Pecunia
captura.*

conuenissent. Quæstum sua oratoria arte fecisse Demosthenes fertur, ita vt reprehendi meritò potuerit: qui occultè orationes Phormioni & Apollodoro aduersarijs scripserit, regias pecunias accepisse dictus sit, & ob Harpaleas damnatus. Quæ si ficta ab ijs, qui contra Demosthenem scripserint (sunt autem non pauci) largiamur: id quidem negari nullo modo potest, aduersus munera regem honorifice missa oculos attollere Demosthenem autum non fuisse, neq; præstari tale quidquam ab eo homine potuisse, qui re nautica sceneretur. Ciceronem autem & ædilem a Siculis, & proconsulem à rege Cappadociæ, & in exilium proficiscentem ab amicis oblata dona, rogatum etiam vt acciperet, respuisse ostendimus. Exilij verò calamitas turpis Demostheni accidit, damnato furti: Ciceroni verò propter pulcherrimum facinus, quòd sceleratos homines ex repub. excidisset. Itaque illius eiectioni nulla ratio habita: ob huius casum senatus vestem mutauit, & luxit: neq; statuere quicquam vlla de re, nisi decreto Ciceroni reditu, voluit. Exilium Cicero ociose pertulit in Macedonia desidens: Demosthenis exilium magnam rerum ab eo gestarum partem complectitur. nam, vt dictum est, Græcis auxilium ferens, & Macedonum legatos expellens, circum vrbes proficiscabatur: eaque in re longè meliorem se quàm Themistocles & Alcibiades ciuem gessit. Sanè etiam post reditum rursus antiquam reipubli. administrandæ rationem inijt, in-
25

Exilium.

Reditus.

Mors.

que oppugnando Antipatro & Macedonibus perseuerauit: Ciceronem in senatu reprehendit Lælius, quòd tacitus assideret, Cæsare imberbi adhuc consulatum contra leges petente: accusauit etiam missis literis Brutus, quòd maiorem ea, quàm ipse Brutus destruxerat, grauioremque tyrannidem puero Cæsare educando constituisset. Denique mortem huius miserari subeat alicui, quòd homo senex à seruis bona indole præditis hac illac circumferretur, mortem subterfugiens, quæ non multo ante constitutum à natura terminum ingruerat, atque ita iugularetur: Demosthenes autem, etiam si non nihil ad deprecandum animum inflexit, magnam tamen admirationem meretur, quòd venenum præparatum penes se custodijt: magnam etiam vfu eius, cum Deo tutum se & sacrosanctum non præstante, veluti ad sanctiorem & potentio rem confugiens, aram,

aram, armis & satellitibus regijs sese eripuit, Antipatri quasi subfannans crudelitatem.

INTERPRETIS ANNOTATIONES, in Ciceronem.

MAtrem Ciceronis Heluiam.] ὁλείαν καὶ γερονέναι καὶ χαλῶς βεβιωκέναι. ὁλεον opes, ὁλειον diuitem esse scio. Caterum hic mihi metui, ne si verterem quomodo uterq; interpretes, negligentior meriti iudicaret. Puto autem scriptum esse à Plutarcho, Κικέρωνος δὲ τῶν μὲν μητέρᾳ λέγουσιν ὁλείαν καὶ γερονέναι χαλῶς, καὶ βεβιωκέναι. Primum ipsa traiectione particularum ὁλείαν καὶ, locum mihi fecit suspectum. Deinde cum Græci loco V consonantis τῷ βῆτα utantur, cogitavi quam Plutarchus siue ὁλείαν, siue ὁλείαν dixisset, eam à librarijs postea ὁλείαν perperam scriptam, proprio in appellativum commutato. Nam Eusebius quoque Heluiam Ciceronis matrem nominat, secutus eosdem (opinor) autores: & Heluij Romæ fuerunt, Cinnæ cognomento. Denique vix mihi persuadebitur, si autor matrem Ciceronis (cuius nomen omittere non puto, voluit) diuitem voluisset affirmare, ὁλείαν scripturum fuisse. Dixi quod sentio: cæterorum saluo iudicio.

2 Ab Tullio Attio.] In Græco est τύλλιον ἄππιον, quod interpretes parum de his rebus solliciti retinuerunt.
25 Est autem legendum τύλλον ἄππιον. loquitur enim de Tullo Attio Volscorum rege, ad quem exul Coriolanus confugit. Linius libro secundo, Dionysius lib. 8. initio, & in Coriolani vita noster.

3 Primus Cicero.] A cultura ciceris hoc cognomen Plin. 18. 3. ortum ait, sicut Lentuli & similia.

4 III. Nonas Ianuarij.] ἡμέρα τρίτη τῶν νεῶν χαλῶν δῶν. Hunc suum natalem diem Cicero ad Atticum etiam notat, lib. 7. epist. 5. Ita, inquit, ad urbem 3. Non (patet au-